Quaestiones de syntaxi Latinorum.
De concessione.

Cuius disputationis primam partem

uenia

Ordinis Philosophorum Lundensium Amplissimi

die XXVIII Maii hora ante meridiem IX in auditorio I

publice defendere conabitur

GVST. RAGN. SCHLYTER
Doctor phil. et artt. libb. Magister.

Lundae
typis Berlingianis
MDCCCLXIX.

Arti grammaticae quid propositum sit, si quis quaerit, sine dubitatione responderim praeter alias res hoc propositum esse, ut, quid sermonis cuiusque sit proprium, quid cognatorum commune, exponatur; qua ratione ea quae sint, quae fiant, quae cogitentur, uerbis exprimantur, explicetur; quo modo recte dicatur recteque, quae dicta sint, intelligantur, constituatur. Quae omnia ut cognoscantur, necesse est, quis sit usus scriptorum ac consuetudo, inuestigari. Qui quo certius reperiatur, libri scriptorum sermonis cuiusque quam diligentissime recognoscendi sunt, ut, quae uera sit loci cuiusque lectio, indagetur, itaque, quid liceat, quid non liceat lingua quadam dicere, exquiratur. Quae quamuis grauia sint ac necessaria, tamen non satis est, q u o m o d o se hae res habeant, scire; sed ut ii, qui in rebus naturae perscrutandis uersantur, quo modo quidque sit inuento ac constituto, his non acquiescunt, sed ad caussas exquirendas pergunt, et, cur nequeat quidque non ita esse, statuunt: ita grammatici et philologi est officium, qui quidem non scire solum, qualis sermo uideatur, sed quare talis sit, exploratum, quoad explorari potest, habere uelit, uim constructionum, quas inuenit, quam potest accuratissime diligentissimeque, explicare atque exponere. Nos quidem, rebus in syntacticis Latinis uersantes, de concessione, quae dicitur, scribemus. Quod si nulla alia res ageretur, quam quibus modis periodi concessiuae Latine construi deberent, non magno opere difficile fuisset hanc rem expedire, praesertim quum haud scio an pleraque quae huc pertineant, iam sint a grammaticis enarrata atque exposita. Atqui nostrum est, caussam et rationem eorum,

quae fieri uidemus, quoad poterimus, exquirere atque explicare; ob eamque rem primum de ui concessionis disputabimus. At hoc non ita intelligi debet, quasi nihil aliud nostrum esse putemus, quam, quid in ipso hoc nomine sit, inuestigare atque exponere. Sed de ui eius rei, cui concedendi nomen imposuerunt uiri docti, disseremus; ex quo non poterit non apparere, num aptum sit reique ipsi respondeat hoc nomen. Quae res iam ipsa per se magnam sane habet difficultatem. Namque licet nemo sit, qui, quae coniunctiones quaeue enuntiationes concessiuae soleant appellari, nesciat aut, quo modo concessiuae complexiones construi debeant, non intelligat, tamen, quidnam sit id, quod concessio nominetur, omnes fere ignorare credo. Quam enim facile est intellectu, 'postquam' de tempore usurpari ac 'quia' de caussa, tam difficile est dictu, quae in 'quamquam, quamuis, etsi' cett. insit uis ac significatio. Sic uero, quid nobis proposuerimus, constituto, nemo nos, opinor, reprehendet, quasi de re peruagata notaque, de qua non opus sit quaerere, disseramus. Hoc enim qui dixerit, se omnino totam rem eaque quae scripta de ea sunt, ignorare declarauerit. Nam tantum abest, ut huic rei satis factum sit, ut, quod sciam, nullus grammaticus eam copiosius tractandam susceperit. Immo repugnant inter se breues illae definitiones, quas apud grammaticos inuenimus; earumque num qua nobis adprobanda sit, si diiudicabimus, necesse est eas collectas atque inter se comparatas recognoscere [1]. Et perspicuum est, has definitiones, ut non omnes eodem tempore omnino uerae rectaeque esse possint, ita rei propositae non satis facere, quum, quid uere sit concessio, ex iis non liceat colligere. Quoniam autem ne adolescentulis quidem fas est ea tradere, quae aut non omnino uera sint aut aperte falsa; quid autem uerum sit, quid falsum, quaestiones philologiae ostendent: illius rei constituenda est disquisitio philologa. Nam si istae definitiones ne adolescentibus quidem

---

[1] Non nulla iam sunt a nobis de hac re disputata in opusculo nostro de initio c. V. Plat. Ἀπ. Σ. recte constituendo, Lundae 1868, p. 7 - 12, ubi, num concessio ipsa per se in Graeco sermone *οὐ* negationem repudiaret, postularet *μή*, quaerebatur. Et quamquam non licebat nobis, quippe qui quum aliis rebus impediremur, tum de prorsus aliena re disputaremus, copiosius ea quae adfirmabamus, probare ac demonstrare, ut neque cur quaedam sententiae reiiciendae esse uiderentur, nec quibus rationibus ducti nostram in sententiam uenissemus, ostendere possemus, sed significaremus haec potius quam explicaremus, tamen uera ista esse, quae tum contendebamus, neque ab ullo negatum credo, et ipse in eadem etiam nunc permaneo sententia. Id autem, quod illo tempore non licebat accuratius persequi, tunc decreui, quum primum possem, conari, nunc, ut efficerem, dedi operam.

sufficiunt, quanto minus philologo! Atqui non in definienda solum concessione sententiae grammaticorum labant: etiam de usu concessiuarum particularum ac de modo concedendi non omnia ita explanata sunt, ut non sint, quae restent. Quod nos eo confidentius contendimus, quod locupletissimum auctorem Madvigivm laudare possumus, qui: "ipsam" inquit [2] "de particulae ['quamquam'] usu disputationem, quae sine multorum locorum explanatione, non nullorum correctione, et errorum reprehensione absolui non potest, persequi ab hoc loco alienum est." Quae res etsi non prima est, de qua hic disserere debeamus, tamen non possumus eam suo loco non admittere.

Sed magnam id nobis attulit difficultatem, quod praeter breues illas coniunctionum concessiuarum definitiones, quas in grammaticorum libris reperimus, nulla omnino copiosior huius rei explicatio exstat, neque res ipsas uel caussas plerasque, quibus in tractandis uersabimur, attenderunt commentatores et grammatici. Vt uero eo magis utile erat ac necessarium de hac re disputationem institui — quod qui negat, utilitatem usu metiens neque, qui debeat ex his quaestionibus peti fructus, intelligens, diligentius uelim ea quae supra iam dixi, consideret —: ut igitur utile erat illud et necessarium, ita optandum etiam, ut a perito doctoque uiro fieret. Hoc autem quoniam nemo fecerat, ego quidem, etsi non habebam, cui quaestiones, quas infra habebo, adnecterem, tamen non dignus qui reprehenderer, mihi esse uidebar, quod, quamuis exiguas has uires ad rei magnitudinem difficultatemque esse sentirem, huic ipsi rei quid adferre possem luminis, conari uellem.

Restat, ut non nulla de consilio, quod in hoc opusculo conscribendo secuti sumus, addamus. Vt enim in omni re explicanda, num ab aliis quid allatum sit quod ad rem illustrandam ualeat, prius uidendum est, quam, quid ipsi placeat, exponatur: ita prima in operis parte quam uim concessionis esse putauerint ii grammatici Latini, qui eam definierunt, enarrabimus, ac num eorum cuiquam adsentiri debeamus, quaeremus. Deinde de originibus particularum concessiuarum Latinarum ita disputabimus, ut intelligatur, num ex iis lucis quid peti possit, quo appareat, quae principalis fuerit concessionis uis, quidque, quum sermo primum natus sit, concessiuis enuntiationibus significari uoluerint homines, utrum ipsa concessio pro prima habenda sit, an alia fuerit prima significatio, cui

[2] in adn. ad Cic. fin. III, 21, 70.

postea aut accesserit concessiua, aut quae in concessiuam, quam dicimus, mutata sit. De quibus rebus disserentes facere non possumus, quin eos auctores et arbitros arcessamus, qui in sermonibus inter se comparandis uersati sint, et non nulla, quae, ex aliis linguis petita, sed ad rem illustrandam pertinentia, repererimus, adferamus. Postremo in tertia parte et ea, quae concludi ex ceteris debent, exponemus, et exempla colligemus, quibus id quod a nobis erit disputatum, confirmabitur, et ex quibus, quae sint concessionis genera, apparebit; quorum generum quod commune est, quamuis quasi formae uarientur, tamen in omnibus unum idemque esse ostendemus. Hanc ad partem hae quoque pertinent quaestiones, quibus modis in Latino sermone uerbis exprimatur quamque late pateat concessio, et quae sit inter particulas concessiuas significationis discrepantia, et quam ad concessionem significandam modi uerbi (imprimis coniunctiuus ille, qui concessiuus nominetur) habeant uim, et in quo ipsa a ceteris, quibus cognata esse uideatur (ut condicione, caussa, comparatione), differat.

I.

Quaerentibus nobis, quae fuerint de concessione sententiae, non utile solum sed necessarium etiam uisum est et nouissimas et antiquissimas adferre ac recognoscere opiniones. Tantum enim abest, ut nihil emolumenti possit ex hac collatione peti, ut et maximam hae quaestiones praebeant delectationem — quippe quum iuuet, quid putarint grammatici tam antiqui artisque quasi conditores, cognoscere —, et efficiatur, ut tamquam a pluribus partibus conspiciatur res, quando quidem sententiae, quae postea non rursum emerserunt, apud eos exstant, et in non nullis earum posteriorum grammaticorum sententiae quaedam quasi nituntur. Quum uero nihil rei nostrae prodesset, si multorum, qui idem sentirent, sententias congregaremus, e grammaticorum turba eos protulimus, qui, insigniorem laudem suis temporibus adsecuti, ad rem nostram explicandam et explanandam aliquid attulerunt, quorumque libri nobis praesto fuerunt.

Hanc ipsam primam partem in duas distribuere aptum nobis uisum est, quarum in altera uno tenore, ut aiunt, sententias enumerabimus eo fere ordine, quo uixerunt scriptores, ut appareat, quae fuerint singulis temporibus opiniones, et quo modo sententia alia aliam quasi genuerit; in altera hae sententiae, nulla

temporis, quo editi sunt libri, ratione habita, recognoscentur, quam ad rem disponentur ita, ut sunt inter se finitimae ac propinquae.

§. 1.

Inter omnes grammaticos, quorum quidem libri exstent, quum DONATVS antiquissimus esse uideatur [3], eius sententiam primam adferam. Dicit enim in "arte grammatica" [4] has coniunctiones esse "expletiuas": 'quidem, equidem, saltim, uidelicet, quamquam, quamuis, quoque, autem, porro, porro autem, tamen'; has "caussales": 'si, etsi, etiamsi, si quidem, quando, quando quidem, quin, quin etiam, quatinus, sin, seu, siue, nam, namque, ni, nisi, nisi si, si enim, etenim, ne, sed, interea, licet, quamobrem, praesertim, item, itemque, ceterum, alioquin, praeterea'. Qui quam uim concessiuarum, quas nos dicimus, propriam esse putauerit, si quaeritur, primum statuendum est, quid sibi uelint nomina, quibus utatur ille. Hoc autem ut statui possit, exquirendum, quid sit harum omnium, quas enumeret, particularum commune. Quod quaerenti facile apparebit, harum coniunctionum, quibus unum dat ille nomen, plura esse genera, quamquam haec, quae sint, non significauit Donatus. Eamque particularum distinctionem etiam apud DIOMEDEM [5] et PROBVM [6] et SCAVRVM [7] et COMINIANVM [8] desideramus. Atque ut eo facilius perspiciatur, quae inter hos sit dissimilitudo, simul omnes, quas ad "caussales" hi retulerunt coniunctiones, huc congerimus: 'si, etsi, etiam (add. Prob.), etiamsi (om. Com.), si etiam (add. Diom.), tam (add. Scaur.), tametsi (pro hac Diom.: tamen si), si tamen (om. Scaur., Com.), si quidem, quando, quandoquidem, quatenus (add. Prob.), quin, quin etiam, sin, sin autem (om. Scaur., Com.), sinetiam (om. Com.), seu, siue, nam, namque, ne (add. Com.), ni, nisi, nisi si, sed (om. Com.), praeterea, (quibus has add. Diom.:) enim, etenim (has duas etiam Scaur.), quia, quoniam, eo, ideo, idcirco, propter, caussa, gratia, (Scaur. has quoque:) quamobrem, praesertim, quam, quamuis, proinde, sal-

---

[3] Vide I. C. F. BÄHR, *Geschichte der Röm. Literatur, 3 Ausg., 2 Bd., Carlsruhe 1845,* §. 391. [§. 354.]

[4] pagg. 364, - 5, 389 uol. IV editionis H. KEILI.

[5] Ars grammat., lib. I, pag. 416 KEI. I.

[6] Instituta artium, pag. 144 KEI. IV.

[7] in pseudo - SERGI explanationum in artem Donati libro II, pag. 560 KEI. IV.

[8] in CHARISI artis grammaticae libro II, pag. 224, - 5 KEI. I. Nominat caussales etiam Graece *αἰτιολογικούς*.

tim, uidelicet, item, itemque, ceterum, alioquin, propterea, sane' [9]. Et "expletiuas" dicunt 'quidem, equidem, quoque, autem, tamen, porro, (quibus Diom. addit:) profecto, deinde, saltem, nimirum, uero'. Itaque quamquam operam perdemus, si ex his omnibus unam quandam communem uim exquirere conabimur, tamen audiamus, quibus antiqui quidam grammatici caussalium nomen datum esse dicant. Conscripsit SERVIVS commentarium in artem Donati, ubi [10]: "tunc" inquit "utimur caussalibus, quum de caussa loquimur, tunc rationalibus, quum de ratione. Caussa est autem, quae nos impingit ad aliquid faciendum; ratio autem, qua utimur in faciendo. Sed plane sciendum est, quod pro rationalibus caussales ponere possumus; pro caussalibus numquam ponimus rationales. Etenim caussa non statim ratione reperitur; ubi autem ratio est, iam caussa praecessit." De quibus quid nobis iudicandum esse uideatur, alio loco exponemus [11]. Sed apertum est, ne ita quidem, quid caussale sit, exposito, omnes illas particulas caussales esse. Ex quo apparet, grammaticos illos has particulas, quid quaeque significaret, non altius exquirentes, festinantius collectas attulisse [12].

Sed ut hi peccauerant eo, quod suum cuique generi non tribuebant nomen, ita ASPER IVNIOR [13], qui hanc Charybdim uolebat euitare, incidit in Scyllam.

---

[9] Horum igitur Donato simillimus est Scaurus. — Sed quam difficile sit, quid grammatici quidam uere senserint, cognoscere, et ex aliis rebus (conf. adn. 12) et ex eo apparet, quod Diomedes, quum eas, quas enumeraui, caussales appellauit, "ratiocinatiuae" inquit "[sunt:] 'sed, quamobrem, praesertim, item, itemque, sine, ceterum, alioquin, atquin, enim, etenim, enimuero, quia, quapropter, praeter, quippe, quoniam, quoniamquidem, ergo, igitur, ideo, ideoque, scilicet, propterea, quare, quocirca, quippe, utpote, sane, [scilicet,](!) uidelicet, itaque, quamuis, licet, quamquam, quando graui accentu, quatenus, quando quidem, siquidem'. Dictae sunt ratiocinatiuae, quod quamque rem praepositam ratione confirmant, in hunc modum: lucet, igitur dies est. Nam hic ratione colligit lucem ideo esse, quod dies est, seu diem ideo esse, quod lux est. Sunt item praeterea, ut ait PLINIVS, inlatiuae hae: 'quamquam, quamuis, etsi, tametsi'." — Putat Probus 'quamquam' esse inter "rationales", ad quas plerique 'quia, quoniam' sim. referunt.

[10] pag. 418 KEI. IV. Verba fere eadem sunt in pseudo-SERGI explan. in Don. lib. I, pag. 516 KEI. IV.

[11] Vide adnn. 53, 54.

[12] Haud raro negligentiores eos esse uidemus. MAXIMVS enim VICTORINVS, quamquam in caussalibus posuit 'si, etsi, etiamsi, sin', tamen postea dicit, 'quando', quum graui accentu efferatur, coniunctionem esse caussalem; "significat enim" inquit "quia uel quoniam." Vide eius Artem grammat., pag. 283 uol. I edit. F. LINDEMANNI. Conf. adn. 9 supra.

[13] Ars grammat., pag. 315 LIND. I.

Qui postquam XVII fere coniunctionum genera enumerauit, "omnes" inquit "nominibus suis designari non possunt propter multitudinem generum aut subtilitatem discriminum, quibus aliae ab aliis differunt; sed ex his omnibus has, quas enumerauimus, maxime usurpant." Itaque concessiuis quoque nostris suum dedit nomen. Earum enim, quae "concludant", coniunctionum tres esse species: relatiuas, ut 'quamquam, quamuis, etsi'; praelatiuas, ut 'si, sin'. "Sunt" inquit "et mediae, hoc est, quae et inchoant sententiam et includunt, ut 'et, atque', quas generaliter complecti diximus" [14]. Ex quo apparet, nomina illa ("relatiuas" et "praelatiuas" dico) enuntiationum ordinem spectare, ut opinetur ille, 'quamquam' et cett. se ad antecedentem apodosim referre solere, 'si, sin' contra spectare sequentem [15]. Quod si ita est, facile intelligitur, sententiae quaedam grammaticorum quam habere auctoritatem et quam fidem possint.

Vt his omnibus commune fuit eodem nomine coniunctiones condicionales et concessiuas appellare, sic eas CHARISIVS uel potius PALAEMON omnino separat, illas ('si, siquidem, siue, seu, nisi') "dubitandi" uim habere (*διστακτικούς*) dicens, has ('quamquam, quamuis, etsi, tametsi') "inlatiuas" uocans [16]. DIOMEDEM quoque hoc nomen usurpare, id PLINIO cuidam se debere fatentem, iam adnotauimus [17]. Senserunt igitur hi idem atque Asper, quia "inlatiuus" idem significat ac "concludens".

Nouissima fere antiquarum, quas nobis in animo est adferre, sententiarum PRISCIANI est, qui coniunctiones concessiuas "aduersatiuas" appellat, iis 'tamen, quamquam, quamuis, etsi, etiamsi, saltem' adnumerans. Quas "aduersum conuenienti significare" dicit [18]. Eique adsentiuntur grammatici fere omnes illi, qui

---

[14] Si illas particulas concludere ait, cuius generis putat esse eas, quas nos conclusiuas appellamus? interrogauerit quispiam. "Connexiuas" nominat 'igitur, ergo, proinde, itaque, praesertim, quatenus'. Ac ceteri illi, quos ante commemorauimus, eas "rationales" (Scaur. et Com.) et "ratiocinatiuas, *συλλογιστικούς*," (Diom. [uide adn. 9; item Palaemon, uide adn. 16]) uocant; Priscianus (vide adn. 18) "collectiuas uel rationales".

[15] Adnotandum mihi id quoque est, eundem dicere, coniunctiones 'siue, seu, siquidem' "dubitandi" uim habere.

[16] in CHARISI artis grammaticae lib. II, pag. 225, - 6 KEI. I. Charisius enim, quum de coniunctionibus disputat, primum Cominiani (uide adn. 8), deinceps Palaemonis exponit sententiam. — Hic 'tamen' ad numerum "repletiuarum, *ἀναπληρωματικῶν*," adscribit.

[17] Vide adn. 9.

[18] Ars grammat., lib. XVI, pag. 99 KEI. III. — Condicionales nominat "caussales adiunctiuas", sic disputans: "caussales," inquit "quas alii in una specie posuerunt, APOLLONIVS,

initio medii aeui grammaticas Latinas conscripserunt. Nam hi ad eam rem operam suam contulisse uidentur, ut id, quod a Prisciano iam erat scriptum, exponerent atque explicarent. Quorum inter primos est TH. LINACER, qui in libris suis de emendata structura Latini sermonis [19] ad aduersatiuas refert 'etsi, tametsi, etiamsi, quamquam, quamuis, licet'. "His omnibus" inquit "reddi solet tamen." Ergo "redditiuas" esse 'tamen, attamen, sed tamen' [20]. Sed etiam "'cum', sequente tamen, aduersatiuam esse, pro 'quamuis'" [21]. His coniunctionibus nos significare, "non obstare nec impedimento esse quod dicamus" [20].

PH. MELANCHTHONIVS 'at, sed, ast, uerum, uero, porro, atqui, tamen, quamquam, quamuis, etsi, licet, licebit, saltem' ideo aduersatiuas nominari uult, "quod diuersam sententiam superiori subiiciant" [22]. — "Discretiuas, quibus partes ratione tantum segregentur," P. RAMVS has esse putat [23]: 'autem, ast, at, interea, interim, ut, uero, uerum, nunc, tamen, etsi, tametsi, quamquam, quamuis, extraquam, praeterquam'. I. C. SCALIGER autem [24]: "aduersatiuae" inquit "ad disiunctiuarum naturam accedunt; propositae enim rei aduersantur; disiungunt igitur necessario." Quo referendas esse: 'quamquam, tamen, quin, immo, atque, at,

---

pater Herodiani, in quinque species diuidit, - -, id est continuatiuas, subcontinuatiuas, caussales, adiunctiuas, effectiuas. Adiunctiuae sunt quae uerbis subiunctiuis adiunguntur, ut 'si, cum, ut, dum, quatenus'. - - - Inueniuntur tamen ex his quaedam et caussales, ut 'exerceo te, ut sis sanus', 'eris doctus, si legas'. Et hoc interest inter adiunctiuas et proprie caussales, quod hae cum adfirmatione, illae cum dubitatione proferuntur." (Pag. 95 ibid.).

[19] Parisiis 1527. Fol. 86 auerso.

[20] Fol. 24 auerso.

[21] Fol. 87 aduerso.

[22] Grammatica Latina, Lips. (1540), ed. II, 1550, p. 319. Mirum erat, quanti illis temporibus haec grammatica aestumaretur. Totum enim saeculum plerisque in scholis non Germaniae solum, sed etiam "Daniae, Sueciae, Noruegiae, Finlandiae cett." (ut queritur Nic. ille Frischlinus) ea utebantur; et quanta floruerit auctoritate, id e multis aequalium scriptorum testimoniis licet intelligere. — Refertur ad "quamquam et his similia" etiam "ut, pro quamuis" in "libello de octo orationis partium constructione, emendato per DES. ER. ROTERODAMVM" (Craccouiae 1540), eo loco ubi "de coniunctionum constructione" disputatur — nullos enim liber habet paginarum numeros.

[23] "Grammatica", Francof. (1557), "ed. postrema" 1580, p. 88, 89. Verba eius supra allata fortasse minus euadent obscura, si hanc contuleris definitionem: "connexiua [coniunctio] est qua pars consequens ex antecedentis condicione connectitur, ut 'si, sin, ni, nisi'." Vt hae a Melanchthonio pro caussalibus habentur, ita etiam 'quia', quod Ramus quoque caussale esse putat.

[24] De causis linguae Latinae, [Venetiis?] 1584, p. 420 (cap. 170).

saltem, aut' [25]. — Tum scripsit N. FRISCHLINVS, celeberrimus ille uir, strigilem grammaticam [26], ubi haec sunt: "dicitis uero, coniunctiones 'quamquam, quamuis, etsi et licet' – – esse aduersatiuas. – – – Ego dico has coniunctiones esse concessiuas; quales etiam sunt 'quidem, equidem, sane, tametsi'. – – – Concedunt enim et adprobant aliquid hae coniunctiones: cui posterior sententia aduersatur." Et in grammatica eius Latina [27]: "da concessiuas coniunctiones. Quidem, equidem, sane; etsi, quamquam, quamuis, licet, tametsi; ut pro quamuis. Licet uerbum est magis, quam coniunctio. — Da aduersatiuas. Sed, at, ast, atqui, uerum, uero, autem; tamen, attamen; ceterum, porro." [28] Haec omnia refellere conatur M. CRVSIVS in libris suis duobus ad N. Frischlinum [29], id primum reprehendens, quod "quamquam et tamen inter se lacerata essent, diuersis titulis subiecta," quasi id primus fecerit Frischlinus. Fatetur ille quidem, istas particulas "aliquid concedere"; sed nihilo minus proprie aduersatiuas esse putat, quia "inseruiant occupationi, i. e. responsioni aduersus tacitam obiectionem". Ad quae Frischlinus quum in libello quodam [30] respondet, ostendit occupationis duas esse partes, concessionem et remotionem. "Praeterea" inquit "grammaticus non considerat orationem tacitam, i. e. cogitationem." Ad haec infra reuertemur. Sed licet reprehensiones Frischlini magna ex parte uiles, callidioresque saepe quam ueriores sint, tamen uiliora plerumque quae respondet Crusius. Frischlinus autem ut ab hac pugna uictor discessisse uidetur, ita sententia, quam defendebat, usque ad hunc diem, ab omnibus fere accepta neque ab ullo refutata aut reiecta, permansit. Sed quid ceteris placuerit, uideamus.

---

[25] De 'aut, uel, at, ne, nec, neque' "aduersatiuorum" loco usurpatis conf. Prisciani artem (uide adn. 18), p. 99, 100. — Apud illum primum nomen "condicionales" inueni. "Praestituunt" inquit "[caussam] eae, quas continuatiuas uocant ueteres, recentiores autem condicionales" (cap. 168 init.). Atque has distinguit ab abnegatiuis (pag. 416), quod nomen tribuit particulae 'si', quum eam coniunctiuus imperf:i aut plusqpf:i sequatur. Et idem uerba ὑπόϑεσιν et ὑποϑετικόν adhibet.

[26] Venetiis (1584), ed. noua, 1587. Pag. 50. — Conf. adn. 62.

[27] pag. 172, si M. Crusio laudanti hunc locum credere licet; ipsum enim librum nos quidem non uidimus. Vide adn. 29.

[28] Reprehendit idem, quod "inter caussales numerassent" eas, quas ipse "condicionales et hypotheticas" esse statuebat. Strig. gr. p. 52, 53.

[29] Argentorati 1586. Pagg. 100, - 1, 266 - 8.

[30] qui "Poppysmus grammaticus" inscribitur (Pragae 1587), p. 172 - 5.

Ex his igitur S. VEREPAEVS [31], C. FINCKIVS et CH. HELVICIVS [32] ad priorum redierunt sententias, quare in eorum libris nihil noui de his rebus inueni. — Aequalis fere Frischlini erat FRANC. SANCTIVS, cuius liber, qui Minerua [33] inscribitur, maxima suis temporibus efferebatur laude. Neque apud eum inuenias confusionem grammaticorum superiorum, qui, quum ea, quae erant apud Priscianum aliosque, explicare ac corrigere uellent, multo fecerant deteriora. "Aduersantes" dicit 'at, sed, porro, tamen, tametsi, etsi, licet, quamquam, quamuis, autem'; 'quum, tum, si, sin, nisi' "copulantes ex condicione". Sed in explicanda ui coniunctionum 'quamuis' et 'licet' eas concedentis esse dicit; neque, quid in iis aduersatiui sit, ibi ullo uerbo significat. — Apud G. I. VOSSIVM [34] eaedem fere et classes coniunctionum sunt eademque nomina, ac quibus hodie quoque utuntur grammatici (quamquam nondum ille coordinantes a subordinantibus seiungit). Eiusdem sententiae, etsi nomina ac classes alii aliter uariant, sunt N. CHYTRAEVS [35], G. SCIOPPIVS [36], I. RHENIVS [37]. In Scioppi auctario ad gram. philos. [38] legimus, ut particulâ 'ut' "hypothesis uel condicio significetur, quum per 'etsi, quamuis' uulgo explicetur", ita "non minus per 'quod' hypothesim significari", cuius rei multa adfert exempla. Et de hac re infra suo loco disputabimus.

Vt in his, quas attulimus grammaticas, aut omnino nihil de concessionis ui ipsa disputatum est, aut, si quid est, nihil in iis inuenitur nisi id, quod a superiori-

[31] Lat:ae gram:es rudimenta, "ed. postrema" (IV?), Antuerp. 1597, p. 355. Nouae gram:es Despauterianae supplementa, ib. 1578, p. 610. H. l. haec legimus: "sed, ni, nisi, praeterquam" inquit "exceptiuae uocantur potius quam caussales, quod aliquid ex concessis excipiant." Cuius generis multa.

[32] Gram. Lat., Giessae Hassorum 1613, p. 265.

[33] "seu de causis linguae Latinae commentarius." (Salmant. 1587.) Ed. V, "cui inserta sunt, quae addidit G. Scioppius, et notae I. Perizoni", Amstel. 1733. Pagg. 159, 480 - 94.

[34] Lat. gram., Amstel. (1626), ed. IX, 1693, p. 164. De arte gram., Amstel. 1635, VII, p. 264, - 5, 270.

[35] Gram. Lat., conscripta olim a N. Chytraeo, nunc denuo recognita, Gryphisu. 1659, p. 162, - 3.

[36] Gram. philosophica, Amstel. (1659), ed. noua beneficio V. A. Scauenii, 1664, p. 17, 55. Hic 'tamenetsi' et 'tametsi' "aduersatiuae," ceterae "concessiuae" appellantur.

[37] Gram. Lat., Lips. 1735, p. 245, 453, - 4. "Dicuntur concessiuae" inquit "quia in oratione aliquid concedunt, cui posterior sententia aduersatur."

[38] Amstel. 1669, p. 53. Opusculum sic inscribitur: Mariangeli a fano Benedicti auctarium. Idem alibi se nominat Pascasium Grosippum.

bus dictum erat, repetitum, sic etiam in "grammatica Marchica"[39], qua priorem nullam Germanice conscriptam uidi. Fusius uim concessionis uel potius usum particularum concessiuarum primus, quod sciam, I. G. Graessevs[40] explicat, his uerbis: *"die concessiven Disjunctionen werden dann gesetzt, wenn der Vordersatz mit dem Nachsatze, und der Nebensatz mit dem Hauptsatze in einem so widrigen Verhältnisse stehen, dass jener diesen völlig aufzuheben scheint, aber wegen eines gewissen Nebenumstandes ihn dennoch nicht aufhebt."*

Nouissimis temporibus quo modo conati sint concessionem definire, breuiter exponemus. C. F. Etzler conscripsit *"Uebersicht und Anordnung der Satz-Verbindungen"*[41], ubi haec praecipit. Enuntiationes esse aut coordinatas aut subordinatas. *"Die subordination ist ein Verhältniss zwischen Rections- und Bestimmungs-Satz."* Huius enuntiationum generis duas esse species: relatiuas et coniunctionales. *"Die conjunctionalen Sätze sind im Allgemeinen entweder Gegenstands- oder Umstands-Bestimmungen." "Die Umstands-Bestimmungen beziehen sich theils - - - theils auf Causalität. Speciellere Verhältnisse davon sind das conclusive - -; das adversative* [i. e. enuntiationum concessiuarum] – –. *Endlich können es Bedingungen seyn, welche in den Bestimmungssätzen liegen."* Ipse reprehendit eos *"neuere Grammatiker"*, qui *"die Ausdrücke Substantiv-, Adjectiv-, Adverbial-Sätze in Gebrauch gesetzt haben"*. Et hi quoque enuntiationes concessiuas ad *"die Sätze der Grund"*, hos ad *"Adverbialsätze"* referunt.

K. Reisigivs[42] sic definit particulas concessiuas, ut dicat, eas esse *"einräumende, zugebende, indem man anerkenne, dass in Etwas kein Hinderniss liege, um ein Anderes anzunehmen, obwohl man glauben könnte, es sei ein Hinderniss"*. Concedi autem posse duobus modis; nam aut concedi id quod sit, aut id quod esse ponatur. Posse autem aliquid esse aut ita, ut uere sit, aut ut sit in cogitatione[43], et poni aut ita, ut uerum esse, aut ut fieri posse significetur. Ad

---

[39] sic appellata, quia ex mändato regio (an. 1709) conscripta est, qua uterentur in scholis Marchicis. Primum edita est an. 1718. Mihi praesto est editio III(?), Erff. u. Leipz. 1745. Pagg. 443, 667 - 86.

[40] *Gram. d. Lat. Spr., 1 Th., Leipz. 1798,* p. 198, - 9; *2 Th., 1800,* p. 383.

[41] in *Sprach-Erörterungen (Breslau 1826),* p. 61 - 80.

[42] *Vorlesungen* [an. 1826, - 7 habitae] *üb. lat. Sprachwissenschaft. Herausgeg. m. Anm. v.* F. Haase, *Leipz. 1839,* §. 261.

[43] *"ein objectiv Gegebenes, was nur in einem Möglichen besteht, wo dann gesagt wird,*

primum illud genus pertinere 'etsi, tametsi, quamquam, quamuis, quantumuis'; ad alterum 'etiamsi' ('etsi'); ad utrumque 'quidem'. Sed inter 'etsi' ac ceteras id intercedere discriminis, quod illud *"einen reinen Gegensatz eines objectiv Vorhandenen gebe"*, ceterae *"mit Einschluss einer Individualisirung seien"*.

Apud F. HANDIVM, praeclarissimum illum particularum interpretem, haec de concessione legimus [44]: "res siue caussa, quae ei, quod fit, non respondet, sed contrarium agens, nihil tamen impedit, quo minus hoc eueniat, ea enuntiatione exprimitur, quam concessiuam uocare solemus: in qua ratio et consequentia repugnantes apparent, et, intercedente alia caussa, distant. Ita remoto impedimento, quod in se ualet, ipsa rei efficiendae ueritas confirmatur."

Scripsit V. VEISSENBORNIVS de hac re in grammatica sua [45], ubi nouam quandam adfert rationem. Refert enim ad *"Objectivsätze"* — ceteras enuntiationes secundarias *"Attributivsätze"* uocat — et *"Accusativsätze"* et *"Ablativsätze"*; inter illos etiam *"Accusativsätze der Vergleichung"* esse dicit, eoque pertinere, praeter ceteras, enuntiationes, quae particulis 'quamquam' et 'quamuis' inducantur. His quum 'tamen' cett. respondere adnotauit, *"so wird"* inquit *"ausgesagt, dass, wenn der Gedanke im Nebensatz auch noch so sehr gelte, doch auf der anderen Seite das im Hauptsatze Gesagte statt finde, was man neben dem Ersten nicht erwartet habe"* [46]. Sed uim enuntiationum concessiuarum, quas, ad *"Ablativsätze"* relatas, a coniunctionibus 'si, etiamsi, etsi, tametsi' incipere dicit, ita describit: *"eine Annahme wird oft aufgestellt und eingeräumt, aber die erwartete Folge geläugnet, und eine nicht erwartete oder*

---

es sei Etwas ausser der Annahme des Subjects entweder real vorhanden oder möglich vorhanden, welches wie ein Hinderniss betrachtet werden könnte und doch keines ist."

[44] in eius "Tursellino", uol. II (Lips. 1832), p. 588.

[45] *Lat. Schulgram., Eisenach 1838*, §§. 442, 470. — De enuntiationum secundariarum generibus disputat in §. 366. Vbi quod dicit: *"so entstehen in Rücksicht auf ihre grammatische Geltung drei Arten von Nebensätzen, nämlich Attributiv-, Objectiv- und Subjectsätze"*, quum iis quae supra allaturus sum, repugnare uideatur, adnotandum mihi est, id quo nihil mirabilius, tertium illud genus *(Subjectsätze)* ab ipso in grammatica nusquam separatim tractari. Immo id e generum illorum numero paene excludit in adnotatione, quam his uerbis absoluit: *"also können alle Nebensätze ursprünglich als Attributiv- und Objectivsätze betrachtet, und nur einige Arten derselben als Subjectsätze angesehen werden."*

[46] Quamquam hic ne uno quidem uerbo significat, has coniunctiones concessiuas esse, tamen alio loco (§. 149) eas in numero concessiuarum reponit.

die der erwarteten entgegengesetzte im Hauptsatze behauptet." [47] — Has particulas *"ein Zugestehen"* significare dicit C. G. ZVMPTIVS [48]. G. T. A. KRYGER caussales eas esse putat; sed tamen et significat et aperte dicit, eas condicionalibus esse cognatas [49]; apertius autem hoc nemo quam F. KRITZIVS et F. BERGER, qui [50] in secundaria concessiua numquam non *"Voraussetzung"* inesse putant, neque ullum aliud inter concessiuarum ac condicionalium enuntiationum genera constituunt discrimen, quam quod in periodis concessiuis quid sit, quod non exspectetur.

Restat I. N. MADVIGI definitio [51], quam ad uerba adferre placet. *"Indrömmende Conjunctioner"* inquit *"kaldes de, der betegne et Hovedsætningens Indhold modstræbende Forhold* [in ceteris editt.: *betegne en modstridende Omstændighed, trods hvilken dog Hovedsætningen finder Sted*], *enten saaledes, at man blot tillader, at Forholdet* [in cett. edd.: *Omstændigheden*] *antages at finde Sted, eller saaledes, at man siger, at det virkelig finder Sted."*

§. 2.

Vidimus igitur, quo modo e priorum grammaticorum sententiis natae sint eae, quas qui nouissimas conscripserunt grammaticas, defendunt. Horum enim uix

---

[47] Has duas Veissenborni sententias ubi infra retractabimus, ad illam signo "Veiss. A.", signo "Veiss. B." ad hanc delegabimus.

[48] *Lat. Gram., 10 Aufl., Berl. 1850,* §. 341.

[49] *Gram. d. Lat. Spr. (Neue Ausg. d. lat. Schulgram. v.* A. GROTEFEND*), Hann. 1842.* In ipsa quidem definitione (§. 606) nihil de caussa disputat; dicit enim: *"Concessivsätze sind solche, in denen etwas zugestanden oder als möglich angenommen wird, wodurch die Wahrheit des im Hauptsatze Gesagten nicht aufgehoben wird. Ihre Verwandtschaft mit den Bedingungssätzen springt schon durch die mit der conditionalen Conjunction* si *zusammengesetzten Fügewörter* etsi *u. s. w. in die Augen."* Sed in §. 530 et enuntiationes condicionales et concessiuas *"zu den Adverbialsätzen des causalen Verhältnisses"* refert. Omnium enim enuntiationum secundariarum tria esse genera: *"Adjectivsätze"* (qui Veissenborni *"Attributivsätze"* respondent), *"Substantivsätze, Adverbialsätze"* (quae duo genera uni Veissenbornico *"Objectivsätze"* respondent). (Vide §. 525.) De concessiuarum particularum ui caussali uide praeterea §. 530 b) usque a uerbis: *"Hier sagt der Nebensatz"*.

[50] *Schulgram. d. Lat. Spr., Gött. 1848,* §. 149, 16.

[51] *Lat. Sprogl., Kjöb. (1841), 4 Udg., 1862,* §. 390 (§. 443 tertiae ed.). Conf. §. 316, adn. 1 (§. 361, adn. 2): *"Modsætningen imellem det Udsagte og noget Andet, der virkelig finder (fandt) Sted, betegnes ved* quamquam *eller* etsi *(forstærket* tametsi*) med Indicativ."*

quisquam uim concessionis nouo modo explicauit, quo non priorum quisquam fecerit. Sed pleraeque, quae ante fuerunt sententiae, hodie quoque ab aliquo grammatico adprobantur. Atque ad has sententias accuratius considerandas nunc adgredimur. Fuerunt enim sex quasi genera, primum eorum, qui enuntiatorum concessiuorum caussalem propriam putarent esse uim, alterum eorum qui conclusiuam, tertium qui aduersatiuam, quartum qui condicionalem, quintum qui concessiuam, sextum qui comparatiuam. Tamen eorum, qui concessiuas has particulas appellauerunt, non nulli prorsus aliam iis tribuerunt uim, quamquam huius nomen neque ab ipsis inuentum est, et inuentu est difficillimum. (Vide adn. 80.)

Inter eos, qui coniunctiones concessiuas caussales aut appellauerunt aut, aliis utentes nominibus, tamen caussales esse existimauerunt, sunt Donatvs ceterique illi antiqui, Etzler eiusque aequales, Handivs, Kryger et qui eum secuti sunt [52]. Quum autem antiqui illi, quo modo sese res habere putarent, adferrent, cur ita sentirent, non exponerent, apud ceteros, quae allatae sint rationes, necesse est uideamus. Qui quum censeant, particulas 'quamquam' et ceteras caussales esse, prius quam licet dicere, utrum uere caussales sint an non, quaerendum nobis est, quid sit caussale. Caussale est quod pertinet ad caussam. Atqui caussae genera sunt duo. Aut enim est caussa necessaria, quae quasi interior est. Haec quum adest, effectus non potest non simul adesse, nec sine ea effectus esse potest. Aut caussa est non necessaria, quum effectus uel adesse uel abesse potest, quippe qui ex arbitrio alicuius pendeat [53]. Nunc Krygerum audiamus. *"Die Conditionalsätze"* inquit *"u. die Concessivsätze machen eine Art der Causalsätze aus, welche die Angabe eines Grundes enthalten."* Non dicit ille quidem coniunctiones ipsas caussales esse, enuntiationes dicit. Sed ut eae enuntiationes temporales appellari solent, quas coniunctiones temporales inducunt, sic coniunctiones, quae enuntiationes caussales inducunt, caussales esse credo. Ergo quaerendum est, num uerum sit, quum 'si' aut 'quamquam' dicam, caussam

---

[52] Vt F. Bauer, *Die Partikeln d. Lat. Spr., Nördl. 1865,* p. 88, 89.

[53] Dicimus aut *"grund"* aut *"anledning"*, sed utrumque caussale *("orsak")* est, caussalibusque coniunctionibus ('quia' cett.) in utramque sententiam utimur. — Fortasse hanc spectabat dissimilitudinem Servivs, quum inter caussales et rationales distinguebat (uide adn. 11); quae distinctio ut per se difficilis erat intellectu, ita nullo modo poterat ad ipsas particulas, quibus illa nomina imponebat, referri.

alicuius rei a me significari. Et uult Kryger, "*dass eine Bedingung ein bloss angenommener Grund sei, aus dem irgend etwas folge*"; sed hic eodem modo peccatum esse opinor, quo saepe fit, ut, quod non numquam uerum sit, id numquam non ualere contendatur. Non nego equidem, fieri posse, ut caussâ sumta positaque protasis condicionalis contineatur; omnes caussis sumtis contineri nego. Duo enim sunt enuntiatorum condicionalium genera: aliis constituitur condicio quaedam, ex qua apodosis pendet; aliis ponitur aliquid, quo sumto, quo modo aliud quiddam se habeat, pronuntiatur. At apertum est, neque condicionem idem esse ac caussam, neque inter positum quiddam et enuntiatum primarium semper intercedere caussale quidquam, posse autem hoc accedere. Sed ut non licet dicere, e condicione, quae proprie sic dicatur, sequi efficiue aliquid, ita id quoque peruersum est contendere, numquam posse poni quidquam, nisi quod caussa sit alius rei. Fortasse hic alicui ueniet in mentem eius, quod enuntiationum condicionalium et caussalium id est commune, e protasi apodosim quodam modo pendere, quasi ex hac re efficiatur, ut caussales et condicionales enuntiationes eiusdem sint generis. Nam si quis dicit: 'si uales, bene est', ipsa res postulat, ut utraque enuntiati pars simul aut adfirmetur aut negetur, obstatque, ne dicas: 'si non uales, bene est', aut: 'si uales, bene non est', quippe quae absurda sint. Hoc ideo fieri, quis non uidet, quod in his exemplis inter sententiae partes intercedat ratio quaedam, quae similis sit ei, quae periodorum caussalium est? Sin autem enuntiato temporali dico: 'quum ille ueniebat, sol lucebat', per se nihil habebit absurdi, si in contrarium commutatum erit: 'quum ille ueniebat, sol non lucebat', etsi alterum tantum uerum esse potest. Sed etiam in complexionibus temporalibus talem caussalem uim non numquam inuenimus, ut in hoc exemplo: 'quum sementem feceris, metes', quocum conferas haec: 'si sementem' e. q. s. et 'quia sementem fecisti, metes'. Iam uero, si istam ob caussam omnes enuntiationes condicionales caussales appellandae sunt, propter eandem rem temporales quoque sic nominentur necesse esse uidetur. Sed tantum abest, ut caussale quid in ipsis periodis condicionalibus per se esse concedamus, ut caussae generum, quae supra commemorauimus, neutrum ad eos pertinere dicamus. Itaque magno opere a Krygero dissentimus, qui in uerbis illis modo allatis tantum "*einen angenommenen Grund, aus dem irgend etwas folge,*" commemorat; quibus uerbis caussam necessariam, quam nos appellabamus, spectare

nobis ille uidetur [54]. Nec uero minus peruersum est, omnes enuntiationes condicionales caussales appellare, quam omnes caussales conclusiuas dicere. Neque enim alterum illud caussae genus circuitus condicionalis proprium esse, iam contendimus. 'Nisi aegrotabo, ueniam', qui dicit, non sane significat, se ob eam rem uenturum, quod non factus sit aegrotus. Itaque nos quidem, his rationibus ducti, statuimus, coniunctionum condicionalium nullam aliam per se esse uim, quam quod ponant uel condicionem uel hypothesim; rationem autem caussalem, quam saepe uidemus accedere, non in ipsis particulis, sed in mutua utriusque enuntiati partis relatione esse quaerendam [55]. Nam per se intelligitur, nihil obstare, quin fingi ac poni possit aliquid, quod alius rei caussa sit. Ac sunt loci, ubi hoc quam apertissimum sit [56]. Sed ut in omni uerbi explicatione necesse est attendas, quid et ipsi uerbo, quod explicetur, sit et quid ceteris tribuendum, ne ista ita confundas, ut, quae uis uerbi illius solius nullo modo possit esse, eam propter cetera propriam eius esse dicas: ita coniunctio, quae est 'si', non debet caussalis ideo appellari, quod enuntiationi, quam inducit, non numquam accedit uis caussalis, quum tamen 'si' per se numquam significauerit idem ac 'quia'. In his: 'aequitas tolletur, si habere suum cuique non licet', caussa, cur dicatur fore, ut aequitas tollatur, haec esse significatur: habere suum cuique non licere. Quam esse caussam, non indicat particula 'si'; protasis enim condicionalis num in caussalem sententiam sit accipienda, praestitui (uel a priore, ut aiunt, confirmari) nullo modo potest, sed tum appa-

---

[54] Eundem errorem inuenimus in pseudo-SERGI explanationibus in Donatum (uide adn. 10), ubi hoc proponitur exemplum, in quo "caussalis" illa 'si' et adsit et uim caussalem ostendat: 'si illum occidam, tollo eius hereditatem'. Caussam dixerat esse, quae "cogeret" ad aliquid faciendum. Quae est igitur caussa, quae ad hereditatem illius tollendam "cogat"? Nullam inuenio; nam uerba 'si illum occidam' nullius generis caussam continent; immo si quam uim alienam (id est aliam ac condicionalem) in iis necesse est quaerere, potius quam caussalem temporalem hanc esse censemus.

[55] Conferas haec quoque exempla: 'si tu peccaueris, ego ob eam rem non ero reprehendendus'; 'si scirem, dicerem'. In illo uerbis 'ob eam rem' uel apertissime significatur, in enuntiatione secundaria 'si tu peccaueris' inesse caussam fictam; in hoc autem exemplo pro 'si' substitui non potest 'quia' uel 'quod', quoniam temporibus uerborum modisque significatur, neutrum uerum esse.

[56] Huc pertinent exempla quae adfert Kryger in *Gr. d. Lat. Spr.*, §. 600, 1 [3]. Dicit Cicero (fat. 9, 16), easdem res aliis modis efferri posse. "Possum" inquit "dicere: 'si in sphaera maximi orbes erunt', possum dicere: 'quia in sphaera maximi orbes erunt'."

ret, quum periodi condicionalis partes cognitas et inter se comparatas habeas [57]. Et quidem has particulas iure adhiberi in hunc usum, apertissimum est. Coniunctionibus enim caussalibus non licebat uti, nisi si uera significanda erat caussa; quae si sumta ac posita erat siue non uera, atque hoc uerbis exprimi debebat, ne poterat quidem id nisi coniunctionibus condicionalibus indicari. Sed quia constat, qualis caussa, talem effectum esse, eo aptior hic dicendi modus erat, quod apodosis periodi condicionalis eiusdem semper est generis ac protasis. Ex quo efficiebatur, ut, quemadmodum protasi, caussa utrum non uera an probabilis esset, sic effectus apodosi significaretur.

Forsitan reprehenderit quis, quod tam copiose de coniunctionum condicionalium ui hoc loco disputauimus, quasi haec res ad nostram quaestionem non pertineat. At necesse erat hanc rem hic exponere, quum et a Krygero condicionales enuntiationes et concessiuae pro affinibus inter se haberentur, et ab aliis, quorum infra mentionem faciemus, prope unum genus simul efficere putarentur. Id igitur spectaui, ut, quum hic rem explanassem, absolutam ac transactam haberem in posterum.

Et quidem, si enuntiationes condicionales caussales non possunt recte appellari, multo minus, opinor, concessiuae. Nam quid sibi uult *"ein adversativer Grund"*? Nonne hoc in se repugnans est? *"Das ist"* inquit Kryger *"einer Grund für die Nichtwirklichkeit einer Sache"*; quo nihil obscurius dici potuit. Eius uero sententia quae mihi esse uideatur, breuiter exponam: Caussa non potest esse aut cogitari sine eo, cuius caussa est. Comparanti autem inter se primariam et secundariam periodi concessiuae apparet, alteram non esse caussam alterius. "Ob eam rem caussalesne sunt 'quamquam', 'etsi', cett.? Eodem sane iure comparatiuas aliasque enuntiationes dixeris caussales." Respondet Kryger: *"hier sagt der Nebensatz etwas aus, was ein Grund sein könnte, weshalb das im Hauptsatze Ausgesprochene nicht Statt fände, und es zeigt sich in so fern ein causales Verhältniss. Man nennt diesen Grund daher einen adversativen Grund, d. i. einen Grund für die Nichtwirklichkeit einer Sa-*

---

[57] Vtimur nos quidem uerbo *"förutsättning"*, ubi positionem caussae "necessariae" (quippe quae semper ante *("förut")* quam apodosis cogitetur necesse sit) significare uolumus. Sed ex hoc non efficitur, positionem quoque hypothesis, quam etiam *"förutsättning"* uocamus, caussalem uim habere. Inter eas enim intercedit hoc, quod caussam necesse est ante poni, positio hypothesis non est necessaria.

che; in dem Hauptsatze wird die aus diesem Grunde herzuleitende oder erwartete Folge (wenigstens implicite) negirt." Quibus hoc fere uult: Inter primariam et secundariam ea intercedit ratio, ut haec caussa sit uel esse uideatur contrarii primariae, illa caussam habere uideatur secundariae contrarium. Pronuntiatur igitur circuitu concessiuo, caussam et effectum quodam modo contrarias simul esse [58]. Haec uno exemplo illustremus. 'Id quia uere dictum esse animaduertebat, postulata facere uoluit', — id quod nemo non crediderat; sed non ita se res habebat: nihilo minus postulata facere noluit. Ad hoc significandum 'quia' in 'etsi' mutatur, quoniam, ut uidetur, caussam secundaria iam non continet. Continere ait Kryger. Vt enim 'tenebras' quodam modo uocant 'lucem' homines, quum 'non lucem' appellant, frigus autem ne ita quidem lucem dicere possunt, sic secundariam concessiuam, quamquam non caussam continere ostendimus, tamen caussalem uim habere putat Kryger! Neque ei nos fortasse non adsentiremur, nisi hic nobis idem ac supra, ubi de condicionalibus disputabamus, reprehendendum esse uideretur, quod, quae de uno genere ualerent, ea de omnibus ualere existimaret. Atqui multa sunt exempla, in quibus non liceat protasim concessiuam in caussalem mutare eique apodosim dare contrarium primariae periodi concessiuae, quando quidem saepe caussalis illa uis deest. Vt 'quamquam

---

[58] Hoc idem uolebat HANDIVS, dicens "rationem et consequentiam repugnantes apparere". Sed quid sibi uult illud quod addit, eas "intercedente alia caussa distare"? et quo modo fit, ut "impedimentum, quod in se ualeat, remoueatur"? Non intelligo, quae sit illa altera caussa, nisi forte spectet ueram ipsam "consecutionem", quam primum cogitare, tum tollere necesse est, aut ita ut aperte negetur, aut ut alia substituatur. Vt uero interrogemus, quid sit illud quod commemoret impedimentum, eo magis cogimur, quod ipse ante dixerat, nihil hic esse impediens. At nihil scilicet impedit, impedimento remoto. Sed hoc quando et quo modo fiat, non exponit; dicit enim: "ita remoto impedimento". Remouetur, credo, eo ipso, quod periodus concessiua pronuntiatur. Quo remoto tantum abest, ut protasis ullam dubitationem excitare possit, ut "ipsa rei efficiendae ueritas confirmetur". At qui potest de "re efficienda" hic disputari? An ex hac protasi re uera efficitur apodosis? Dicere hoc Handius uidetur, etiam quum ait, "notare uocabula 'tamen, certe' sim. nihilo minus effici quod efficiatur", i. e.: quamquam "ratio et consequentia inter se repugnant", tamen haec ex illa efficitur. Nam aliter, quantum uideo, non licet uerba eius interpretari. Sed uideamus, quo modo uim secundariae particularumque concessiuarum explicet. Quum primum dixit his "designari, rationem consequentiae non respondere", quasi nihil aliud iis significetur, tum addit, particula 'quidem' "contrarium adponi", "uerbis 'quamquam' et 'quamuis' remitti contrarium illud et irritum esse iuberi", "condicionaliter autem id exprimi, tamquam caussa ipsa ualeat, per 'etsi', 'etiamsi'". Forsitan inuenerit aliquis repugnantia quaedam in his; sed reuertemur ad haec infra. Conf. adn. 81.

omnis uirtus nos ad se allicit, facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse uideatur, tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit'; ac similia. Fortasse huius generis quae sunt exempla — de quibus quid sentiamus, infra exponemus — abnormibus adnumerauerit aliquis; Krygero autem eorum in mentem non uenisse uidetur. A quo quamquam eas ob caussas, quas diximus, dissentimus, tamen non eum putamus tanto opere uituperandum esse, quam antiquos illos grammaticos, qui eiusdem fuerunt sententiae. Ille enim neque coniunctiones concessiuas caussales appellat, neque in definitione uim caussalem omnino commemorat, sed in adnotatione, ubi de origine ac primaria harum enuntiationum significatione quaerit [59]. Sed fuerunt multi, qui, quum operam darent, ut ad unam quasi formam omnia reuocarent, syntaxim quandam philosophicam construerent, quae, ut ad ipsorum libidinem esset conformata, ita plerumque fere nemini nisi ipsis probaretur. Quorum quamuis laudanda esset diligentia, qua rebus, quibus se dederant, explicandis studerent, eaeque quo inter se coniungerentur cognationis uinculo, ostendere atque exponere conarentur, tamen librorum eorum, qui exstant, licet suis temporibus auctoritate floruerint, hodie exiguus sane est usus, etiamsi propter uim quam habuerunt ad artem grammaticam quasi prouehendam, qui legantur et cognoscantur, digni sunt. Etsi uero minime nostrum est istiusmodi rationes diligentius examinare [60], quippe quod ad rem nostram nullo modo pertineat, tamen id, quod plerique uoluerunt, enuntiationes concessiuas caussalem uim habere, reiiciendum nobis fuit ac refutandum.

Proxime ad eos qui caussalem uim enuntiationibus concessiuis tribuunt, accedunt ii qui conclusiuam. Quorum in numero Charisivm (Palaemonem),

---

[59] Nam id mihi iam diu persuasum est, si in doctorum uirorum libris doctis liceat de ui caussali harum enuntiationum commemorare — ac licet fortasse, modo ita fiat, ut ea ad primam ac principalem accedere posse dicatur —, certe ineptum esse id fieri in libris, quibus uti debeant pueri; hos enim nec res ipsas nec quis sit ex iis fructus petendus, intelligere. Nam aut credent, doceri, 'etsi' caussale esse (ut 'quia' cett.), aut enuntiationem esse caussalem, coniunctionem non item; quorum utrumque absurdum uidebitur.

[60] Inter eos, quorum sententias attulimus, hoc in numero est C. F. Etzler, qui quid sentiret, breuiter exponebamus, non quod praestantiorem huius rei explanationem apud eum inueniebamus, aut quod, illa ratio utrum adprobanda an reiicienda esset, in animo nobis erat quaerere atque inuestigare, sed ut exemplo ostenderemus, quo modo qui docti ex hac disciplina essent, et quaestiones grammaticas suscipere et susceptas expedire solerent.

Diomedem (Plinivm), Aspervm Ivniorem inuenimus. Animaduerterant enim, quum aliquid concessiue pronuntiaretur, significari, non esse id, quod ex eo, quod in protasi esset, colligeres. Quod quamuis uerum esset, tamen tantum aberat, ut hanc ob caussam coniunctiones 'etsi, quamquam' cett. concludentes essent, ut peruersius nihil posset dici. Coniunctiones enim nomina traxunt non ex eo, quod in aliis enuntiationibus est, sed quod in iis ipsis inest, quas inducunt. Atqui enuntiata, quae a coniunctionibus concessiuis incipiunt, numquam conclusionem continent, sed protasim latentis conclusionis; cuius apodosis quia deest — adest autem huius contrarium —, concessiua haec facta est periodus. Ergo haud licet coniunctiones concessiuas conclusiuas eius generis appellare, cuius sunt eae, quas hodie nos ita nominamus. Sed fieri sane potest, ut non fuerit haec, quam diximus, illorum sententia; potuit enim alia quaedam uis his nominibus subesse. Atque eo magis hoc probabile esse uidetur, quod quas nos conclusiuas appellamus coniunctiones, iis alia imposuerunt illi nomina; ex quo apparet conclusiuarum nomen in aliam sententiam illos accepisse, quippe qui id tribuerint particulis, quas nos aliter appellemus; quae a nobis sic nominentur, iis non. Et quaerentibus nobis quae esset altera illa uis, credibile uideretur, huius nominis auctorem uoluisse, has coniunctiones usurpari ad propositionem connexi inducendam, nisi repugnaret et ipsa res et quod alia ad genera referri uidemus coniunctiones, quae potius ita adhibentur. Reliquum est igitur, ut coniiciamus, hoc inuentum esse nomen, ut id conclusionis genus, quod hic se reperisse putabant, a ceteris distinguerent. Quorum opinio quamquam a uera obseruatione orta est, tamen quum ab una omnino parte res conspecta sit, a nobis comprobari, ut ostendimus, non potest. Quare ad ceteras pergamus.

Sunt multi qui coniunctiones concessiuas aduersatiuas appellarint, inter quos Priscianvs primus. Quae sententia uigebat usque ad Frischlinvm [61]. Reprehendit ille superiores grammaticos, quod dixerant, has coniunctiones "superiori aduersam sententiam addere". Exemplis probat usurpari saepe has particulas, ubi nihil antecedat quod spectent [62]. Sed haec reprehensio ut non ad omnes

---

[61] Linacer quamquam idem retinet nomen, tamen uis, quam harum coniunctionum esse dicit, nulla ratione isto nomine significatur. Vide adn. 77. Contra Ramvs uariat nomen, idem sentit. Sanctivs tamquam medius est. De Prisciani sententia conf. adn. 79.

[62] Conf. L. Vallae elegantiarum lib. II cap. 21 (Rom. 1471; ed. Basil. 1554).

grammaticos illos pertinet, sic nihili est. Vtrum enim protasis concessiua apodosim, an protasim apodosis antecedat, nihil ad rem; sed ubique apodosis in cogitando prior est quam protasis, ut infra demonstrabimus. Quae si ita sunt, iure quodam dici potest, coniunctiones concessiuas, si modo aduersatiuae uere sunt, "superiori" aduersam sententiam addere; certe ista non est caussa, cur concessiuas coniunctiones aduersatiuas esse negemus [63]. Sed eorum qui huius fuerunt sententiae, ceteri aliis modis uim istius nominis definiuerunt; in libro MELANCHTHONI autem, contra quem plerumque arma fert Frischlinus, uerba illa sunt. Illi igitur a Frischlino reprehendente non attinguntur. Nec poterit umquam negari, inter protasim concessiuam atque apodosim aduersatiuam rationem intercedere; ita enim se rem habere, ex eo apertum est, quod complexio concessiua numquam non, sententia conseruata, in duas primarias, particula 'sed' coniunctas, immutari potest. Quae ratio particula 'tamen', quaecumque propria eius est uis — id de quo infra quaeremus —, saepe significatur. Licet haec non protasi, sed apodosi praeponatur, tamen eo ipso quod adest, ostendere existimatur, sententiae partes quodam modo inter se contrarias esse. Neque enim, quum apodosis protasi aduersatur, protasis apodosi non simul aduersari potest. Nam quod alii rei oppositum est, ei et haec opposita est res. At aliud est, aduersatiuam rationem apodosi cum protasi esse, aliud huius rei indicem esse coniunctionem concessiuam. Si uero, ut illud contendimus, ita hoc concedimus, tamen, qui nulla alia re coniunctiones 'etsi' et 'sed' inter se dissimiles esse putant, quam quod hoc coordinans, subordinans illud sit, uehementer mihi errare uidentur. Significantur enim particulis concessiuis enuntiationes illae eodem tempore et aduersatiuae inter se et non aduersatiuae esse. Hoc autem si ita est, coniunctiones, quae huius generis sunt, nec sunt nec debent appellari aduersatiuae. Nam ne partem quidem potiorem, ut aiunt, in aduersando, sed in non aduersando uersari credo; tollit enim concessiua particula aduersationem eo ipso, quod eam exponit; atque exponit ideo tantum, ut tollat. Tollit uero non ita, quasi repugnans illud, quale ante fuerit, non permaneat, sed ut s i g n i f i c e n t u r res illae, quamquam repugnantes sint, tamen quodam modo non inter se repugnare. Ne respondeat ad haec quis: at saepissime sane licet enuntiationes concessiuas in primarias mutare easque cum ipsarum primariis aduersatiuâ 'sed' coniun-

---

[63] At erat caussa, cur 'quamquam, etsi' a 'sed, at' seiungerentur.

gere. Fieri istud posse iam diximus; ubi autem fit, non concessiue sed aduersatiue inter se copulantur enuntiata, etiam si addita est 'tamen', quae non addi uix potest. Etsi uero non concessiue coniunguntur, sed aduersatiue, tamen re apse eiusmodi locis est aliquid quod concedatur. Saepissime enim concessio latet, quum uerbis ipsis nulla ratione significatur adesse. Itaque fit in eiusmodi complexionibus aduersatiuis, ut dici possit, aduersationem et adesse et non adesse, sed in re tantum; in uerbis aduersatio est. Aduersationis enim plura sunt genera. Nam et ea quae inter se dissimilia, et quae prorsus contraria sunt, inter se aduersantur; id est, diuersae aduersantur res aut ita, ut nullo modo simul esse possint, aut ut possint. Sed id quod particulis concessiuis accedit, in aduersatiuis per se omnino non est; neque, quod aduersatiuarum est, tale in concessiuis reperitur.

Iam ad eos nos conferamus, qui putarint, in enuntiationibus concessiuis condicionalem uim inesse. Quam quidem sententiam non inuenimus apud ueteres; eos autem non omnino ab ea abhorruisse, ex eo intelligitur, quod condicionales et concessiuas plerumque eodem nomine appellabant [64]. Apertius hoc a KRYGERO et KRITZIO BERGEROque, claris illis huius aetatis grammaticis, doceri uidimus [65]. Ille enim cognationem harum particularum et eo significat, quod utrasque caussales esse dicit [66], et aliis locis [67] aperte sic disputat: *"man ersieht schon aus diesen letzten Partikeln* [etsi, etiamsi, tametsi], *wie der Concessivsatz mit dem Conditionalsatse verwandt ist."* Duo igitur esse dicit, ex quibus appareat, cognatas esse inter se concessiuas et condicionales: unum quod 'si' particula et condicionalis sit et concessiuarum quarundam pars; alterum quod caussalis uis utrisque sit communis. Sed quid caussae in his nos, quam poteramus diligentissime quaerentes, inuenerimus, id supra iam exposuimus [68]. Atque ex iis, quae tum disserebamus, facile intelligitur, nos non modo in concessiuis sed ne in condicionalibus quidem enuntiationibus per se caussale quidquam reperisse. Itaque

---

[64] Vide pagg. 5-7. Conf. uerba SCIOPPI in "auctario" illo supra (p. 10) allata.

[65] Idem sentire complures, qui grammaticas Graecas conscripserint, adnotaui in opusculo supra (in adn. 1) commemorato, pag. 7, adnn. 19 et 20.

[66] *Gram.*, §. 530.

[67] *Gram.*, §. 530 b); §. 606 (uide adn. 49 supra).

[68] Vide pagg. 14-9.

necesse est negemus, eas ob hanc caussam esse cognatas. At nonne altero illo argumento probatur, cognatas has esse coniunctiones? Minime uero. Nam si nullae essent concessiuae nisi quae ex 'si' ortae essent, credibile uideretur, cognatione quadam concessiuas et condicionales esse coniunctas. Quam cognationem non licet constituere ob eam rem quod non nullarum altera pars 'si' particula est. Ex quo id tantum efficitur, has coniunctiones a condicionalibus ortas esse; nec uero probatur, uim concessiuarum omnium communem et principalem esse condicionalem. Quod si uerum esset, multae sane essent coniunctionum condicionalium principales significationes, multae earum propinquae. Sed illa tamen re uera Krygeri uidetur esse sententia, quamquam id non tam apertis uerbis dicit quam Kritzius et Berger, qui ne explicatione quidem aut defensione opus esse existimant, sed adfirmant solum, enuntiationes concessiuas esse *"hypothetische oder Bedingungssätze"*. Sed prius quam ad hanc sententiam recognoscendam adgredior, primum iis respondendum mihi est, qui me interpellabunt quaerentes, num, si constet, esse concessiuas quasdam, quae cum condicionalibus sint cognatae, inde colligi possit, enuntiationes quoque, quas ad fingendas adhibeantur, uim illis cognatam habere ac similem. Ad quae respondeo id quod iam fere dixi, ex affinitate illa particularum id maxime concludi posse, primam uim enuntiationum, quae ab illis coniunctionibus ('etsi' cett.) incipiant, a ui condicionalium propius afuisse, non autem effici, eandem hanc uim semper mansisse. Nec enim, quod ab alia significatione in aliam uox quaedam abire potest, ideo semper prima illa uis ultimae est affinis. Immo uero uoces quaedam usu peruenerunt eo, ut, quae prima fuerit earum uis, alius cuiusdam, quam postea adsumserint, paene contraria sit. Quae omnia quo modo in has, de quibus disputamus, particulas accommodanda sint, ne scribendis iis, quae nemo non intelligat, oleum perdam, omitto. Sed ad propositum reuertamur; iam enim, num Kritzio Bergeroque adsentiri debeamus, quaeremus.

Definiunt igitur illi *"hypothetische Sätze"*, ad quos concessiuas quoque enuntiationes referunt, ita, ut sint *"adverbialische Attributivsätze, die zu Angabe der Bedingung dienen, in deren Folge der im Prädicat des Hauptsatzes bezeichnete Zustand als eintretend dargestellt wird"* [69]. Atque inter *"besondere Arten der hypothetischen Sätze"* sunt etiam ii, qui *"durch die Partikeln*

---

[69] *Schulgram.*, §. 146.

etsi, etiamsi, cett. *eingeleitet werden"*. Quibus particulis quae inducuntur enuntiationes, usurpantur *"um eine Voraussetzung anzugeben, unter welcher der Inhalt des Hauptsatzes nicht erwartet werden konnte"*. Duo igitur sunt, quae cogimur quaerere; unum hoc: qui potest illa definitio enuntiationes concessiuas complecti? Hoc alterum: quid est *"Voraussetzung"*? Vt satis habemus illud interrogare, quippe ad quod, quid respondendum sit, nemo futurus sit qui dubitet: ita necessarium est uidere, quid ad hoc debeat responderi. Namque hoc uerbo neque utebantur illi, ubi de primo enuntiationum hypotheticarum genere disputabant (ibi enim protasim *("den Vordersatz") "die Bedingung"* continere dicebant), neque hic quam uim huic uerbo, quod, de enuntiatis concessiuis (quae nos uocamus) disputantes, numquam non adhibent, tribuant, uno uerbo significant. Atque ego quidem quum in eo eram, ut, quam in sententiam definitio illa *"eine Voraussetzung, unter welcher - - - werden konnte"* intelligi deberet, quaererem, contrarii aliquid in illis uerbis me inuenire opinabar. Nam protasis concessiua si *"Voraussetzung"* esset, nonne ad apodosim pertinere, ut eius esset *"Voraussetzung"*? Atqui, si, illa posita, *"der Inhalt des Hauptsatzes nicht erwartet werden könnte"*, nullo modo huius *"Voraussetzung"* protasim esse posse, si quidem *"Voraussetzung"* id, quod soleret, hic significaret. Sed *"Voraussetzung"* idem esse uidetur atque hypothesis[70], et id hic contendi, hypothesim, qua contineatur concessiua protasis, eius generis esse, ut apodosi repugnet; posse hanc *"Voraussetzung als wirkliche Wahrnehmung bezeichnet werden"* ('etsi' cett. cum indicat.), aut *"mit Anerkennung der Wirklichkeit eingeleitet werden"* ('quamquam' c. ind.). At ualde dubito, num protasim comprehensionum concessiuarum liceat *"Voraussetzung"*, etiam si hanc uocem in eam, quam postremam attulimus sententiam, acceperis, appellare. Primum enim ad uim protasis condicionalis, cum qua protasim concessiuam prorsus aequant, pertinet eiusque proprium est significari, nihil pro uero adfirmari, sed poni tantum aliquid ac sumi; hoc autem concessiua in protasi et abesse — id quod plerumque fit — et adesse potest; semper uero aliud quiddam adest. Deinde

[70] *"Voraussetzung"* etiam in conclusiuis periodis locum habet. Ad has uero concessiuas non pertinere, ex eo apparet, quod conclusionis contrarium hic adest. Neque inuenimus quidquam de concessiuarum ac conclusiuarum cognatione apud Kritzium Bergerumque disputatum, qui contra illas cum condicionalibus, quae non sunt conclusiuae, artissime coniungunt; neque illi de conclusione ullam scripserunt in definitione litteram.

hoc obstare mihi uidetur, quod inter id, quod *"Voraussetzung"* appellant, atque apodosim ea intercedere debet ratio, ut haec ab illa quodam modo pendere uideatur, quo efficiatur, ut, si illa tollatur, tollatur etiam haec. Quum autem periodi concessiuae omnino alia sit ratio, nonne confundentis ac permiscentis est, uerba, quae quadam in significatione usurpari soleant, in prorsus alienam uim adhibere? praesertim si insolita haec uerbi uis nullo modo significatur aut explicatur. Neque enim est, cur concessiua protasis potius *"Voraussetzung"* uocetur, quam caussalis uel temporalis. Sed quum nulla alia re quam hoc ipso uerbo *"Voraussetzung"* hi grammatici affinitatem harum enuntiationum condicionaliumque demonstrarint, hoc autem uerbum quo iure de secundariis concessiuis adhibeatur, cur de caussalibus ceterisque non liceat usurpari, non ostenderint, ab iis haec sententia nec probata nec defensa est. Sed ne posse quidem eam defendi neque adprobari opinor. Quod quibus rationibus ductus iudicem, supra satis dixi.

Denique ad eos uenimus, qui has coniunctiones concessiuas appellauerunt. Cui nomini quae subiicienda sit uis, si quis quaerit, eum ad inuentorem FRISCHLINVM [70a] delegarem, nisi ne ille quidem hanc rem satis explicaret. Suam enim sententiam exponit ille quidem, sed explicatio et probatio desunt. "Concedunt enim" inquit "et adprobant aliquid hae coniunctiones"; et alibi: "concessio est quum dico: quamquam conspectus uester mihi semper fuit iucundissimus; remotio est quum dico: tamen hoc aditu laudis prohibeor. Itaque *τὸ* quamquam concessiua est particula, et *τὸ* tamen aduersatiua." Quid est igitur concedere? Composita haec uox est ex cum et cedere. Cedere autem saepissime dicitur de eo quod obstitit; ergo concedit id quod simul quasi rapitur ab eo cui cedit. Itaque uerbo concedo hae duae res subiiciuntur, primum quod aliquid eiusmodi est, ut alii rei obstare uideatur, alterum quod idem illud non solum huic non obstat, sed, quasi e uia cedens, simul sequitur. Et duplex haec significatio, altera negatiua (non obstare), altera adfirmatiua (locum relinquere, sequi), omnibus fere eius in significationibus apparet, et ubi proprie adhibetur, et ubi improprie. Sed plerumque prior uerbi pars con confirmat tantum adfirmatiuam illam, quam commemorabamus, uocis simplicis uim [71]. Ab hac origine postea eo

---

[70a] Commemorari tamen concessionem etiam apud SANCTIVM, aequalem Frischlini, pag. 10 adnotauimus.

[71] Multifariam utuntur hoc uerbo scriptores. Modo est abire; modo obsequi, indulgere,

uenit haec uox, ut idem fere sit ac fateri. Sed etiam in hac uerbi ui agnoscuntur primae illae significationes. Estne igitur hic aliquod contrarii indicium? Hoc apparebit, si contuleris inter se: 'dico' uel 'puto, eum recte disputasse', et: 'concedo, recte eum disputasse'. Neque adfirmationem illam, quam in concedendi uerbo esse diximus, hic desideramus; contendo enim id, quod concedo. Sed si hoc est concedere, quaenam sunt coniunctiones, secundum hanc sententiam, concessiuae nominandae? Quae intercedere debet inter utramque periodi concessiuae partem ratio? Quis est qui concedat, et qua ratione id, quod conceditur, significatur?

Prima igitur quae suscipienda nobis est quaestio, haec est, quid in complexione concessiua insit contrarii. Ac secundariam concessiuam primariamque inter se quodam modo aduersas esse atque contrarias, uel apertissimum esse opinor. Et adfirmatiuam quoque rationem inter eas intercedere, ex eo apparet, quod eas se numquam tollere uidemus. Sed difficilius est dictu, qui concedatur. Iam constat quidem, hominem nullum concedere aliquid, nisi qui ab alio uel re aliqua aut coactus sit aut commotus ad concedendum. Sed id, quo ab alio cogor, ut concedam, aut commoueor, contrarium est ei, quod ipse sentio aut sensi. Quid est igitur in circuitu concessiuo, quod his omnibus respondeat? Si dico: 'etsi hoc acerbum, bonum animum habete', primaria haec est: 'bonum animum habete'; cui quod opponitur: 'at acerbum hoc', sic conceditur: hoc acerbum est, sed tamen bonum animum habete. Itaque apodosis sententiam primam ac principalem continet [72]; cui quod occurri fingitur, in protasi conceditur. Est igitur ex his apertum, 'etsi, quamquam' cett. non concessiuas solum esse, sed etiam

---

ignoscere, se inferiorem putare; modo permittere, pati, adiudicare, committere, desistere; modo fateri. Exemplorum ex silua haec duo satis sit adferre: **beatos esse deos sumpsisti: concedimus** (Cic. n. d. I, 31, 88); — **consules neque concedebant neque ualde repugnabant** (id. fam. I, 2, 2). Rarius in locos incidimus, ubi hoc uerbum ita inueniamus usurpatum, ut significet sequi. In Horatianis illis (sat. II, 3, 305) **liceat concedere ueris** ueris concedere prope idem est atque id quod nos dicimus *"följa sanningen"*. Confer etiam haec: - - - **nec quidquam de maiestate sua detractum credere, quod maiestati eius uiri concessissent** (Liv. VI, 6): — **dein tamen, ut aetati concederet fatigatus a fratre, uix in partem alteram transductus est** (Sal. Iug. 11, 4).

[72] Quam rem ueram id comprobat, quod homines, quotidiano sermone utentes, numquam fere complexiones concessiuas adhibent, aut, si adhibent, protasim post apodosim ponunt, quoniam, qui loquitur, is quidem ea, quae cogitat, ut ipsi obuersantur, ita profert.

"adprobantes", ut ait Frischlinus, quia, quod concedo, id adprobo. Tantum enim abest, ut primaria et secundaria se tollant, ut ipsa res confirmetur [73], quando quidem illud quoque, quod ei repugnare credas, nihil impedire pronuntiatur. Quae uero coniunctiones ad hanc inter primariam et secundariam rationem significandam adhiberi solent, eae concessiuae nominantur.

Conati sumus, quid in concessiuarum nomine sit, explicare, ut intelligeretur, quid credibile esset, Frischlinum ceterosque, qui hoc nomine usi essent, de hac re sentire. Etsi enim multi ex iis posteriorum aetatum grammaticis, qui hoc idem retinuerunt nomen, in explicanda ui harum coniunctionum ac significatione alias quoque res, quas earum proprias esse putabant, attulerunt, tamen, nisi nomen rei respondere consentaneumque esse putassent, illud sine dubio non seruassent. Quare nostrum est, num aptum sit hoc nomen, sententiaque illorum adprobanda, quaerere. At fortasse haec nostra nominis interpretatio ab iis, quae ab ipso Frischlino ad uim eius explicandam allata sunt, alicui abhorrere uidebitur. Vult enim ille, totam complexionem concessiuam esse "occupationem", cuius altera pars "concessio" in secundaria insit, altera "remotio" in primaria. Sed rarissime eiusmodi occupationi locus esse potest. Quamquam quid sibi uelint "occupatio" et "remotio" et "concessio", non definit. Sed occupatio est, quum quis id, quod responsum iri exspectat, refutandum suscipit aut ad id respondet [74]. Ac remotio esse uidetur, per quam id, quod ab aliquo allatum est, quamquam refelli aut negari non potest, tamen quasi debilitatur atque infirmatur [75]. Concessionem autem esse, per quam fateamur aliquid et adfirmemus, nemo non intelligit. At haec nomina si recte interpretati sumus, de partibus periodi conces-

---

[73] Conf. haec Handi uerba: "ita remoto impedimento, quod in se ualet, ipsa rei efficiendae ueritas confirmatur."

[74] Conf. Qvint. inst. IV, 1, 49: "non inutilis est ratio occupandi, quae uidentur obstare; - - quod schema πρόληψις dicitur"; et IX, 2, 16: - - "praesumptio, quae πρόληψις dicitur, quum id, quod obiici potest, occupamus."

[75] Definitio enim remotionis [criminis], quae est apud Ciceronem, huc nullo modo pertinere potest. Haec enim uerba eius sunt (inu. II, 29, 86): "remotio criminis est, quum eius intentio facti, quod ab aduersario infertur, in alium aut in aliud demouetur." (Eadem in II ad Her. 15, 22 nominatur translatio criminis.) Remotioni Frischlini potius respondere uidetur "infirmatio", cuius mentionem facit Cicero in I de inu. 13, 18 et II, 29, 87 et al. — Atque etiam minus huc pertinet definitio illa concessionis, "per quam non factum ipsum probari ab reo, sed ut ignoscatur, id peti" dicit (ibid. II, 31, 94).

siuae non possunt recte adhiberi. Nam eiusmodi occupationi quia locus esse nequit nisi in perpetua oratione, complexio concessiua numquam posset sola poni. Sola enim si poneretur, nihil esset, ad quod ficta illa responsio pertineret, sed necesse esset fingere responsum ad nihil; et tum haec responsio et "concedenda" et "remouenda" esset. Atque accedit etiam, quod est absurdum, apodosim concessiuam refutatione contineri. Ibi enim aliquid pronuntiatur, quod id, quod in protasi est, non tollat neque refellat, sed simul esse significetur. Itaque nihil "remoueri", sed potius illud, ut ita dicam, "retineri" opinor. Etsi igitur repudiemus necesse est hanc opinionem, in quam Frischlinus, quum in eo erat, ut se, Crusio incursante, defenderet [76], uenit, tamen ex eo non efficitur, necesse esse negemus, his enuntiationibus aliquid concedi; huius enim rei sua opus est disquisitione. Quare utrum ea, quam ante exponebamus, sententia adprobanda an repudianda sit, nunc quaeremus. Concedi dicebamus id, quod ad primariam responderi fictum esset. Quibus non id nos uolebamus, nullam umquam nisi

[76] Crusius enim, quum 'quamquam' ceterasque aduersatiuas esse probare uellet, primus in periodis concessiuis occupationes inesse dixerat. Vide pag. 9 et adn. 29. "Nos quamquam" inquit "et eius ἰσοδυναμούσας occupationi seruire dicimus, et proinde etiam esse aduersatiuas: licet postea demum aliquid concedant, scil. rem ab altero obiectam." Quod alio loco sic explicat: "aduersatiuas dicimus istas coniunctiones, quia quamquam et tamen inter se aduersantur. At (inquis) nihil praecedit particulam quamquam, cui ea diuersam sententiam subiiciat [in hoc exemplo: quamquam mihi semper frequens conspectus uester multo iucundissimus fuit, tamen hoc aditu laudis semper prohibitus sum; uide Cic. imp. Cn. Pomp. 1, 1]? Tu uero ordina sic: hoc aditu laudis hactenus semper prohibitus sum, sed nihilo minus tamen mihi semper iucundissimus fuit conspectus uester. Nunc tantum inuertitur: quamquam adspectus uester: tamen prohibitus sum. - - Dico, particulam quamquam et similes inducere diuersam sententiam superiori, id est, antecedenti. Cui superiori? Huic, non quidem expresse positae, sed in animis auditorum latenti cogitationi: forte cogitatis, me ideo hactenus non adscendisse huc, quia conspectus uester mihi non fuerit iucundus. At fuit mihi semper iucundus, immo iucundissimus. Sed quamquam iucundissimus semper fuit, tamen propter caussas non conscendi hunc locum. - - - Tali aduersationi, quae primum locum habet, secundario demum modo accidit concessio. Vt: quamquam te, M. fili, abundare oportet praeceptis philosophiae; quasi diceret: concedo, quod abundes praeceptis (quod mihi obiicere posses); attamen aduersando concedo." — Crusius igitur sententiam Frischlini quum uolebat reiicere, potius confirmabat, etsi id non modo ipse, sed ne Frischlinus quidem intelligebat. Quare hic quum illa sibi refellenda proponebat, nouam a Crusi discrepantem inueniret rationem necesse erat. Quo factum est, ut, quamuis sint multa in sententia Crusi peruersa ac reprehendenda, tamen etiam minus aut certe non multo magis adprobari possit explicatio Frischlini. Verum Crusi illa uerba quum satis habeam adferre, sententiam eius recognoscere hoc loco omitto.

illam in periodo concessiua fieri posse concessionem; immo uero concedendi modos plures sane uideri posse, non ignoro. Velut quum, quod aut ipse dixi, aut quod alios dixisse narraui, uerum illud quidem esse concedo, sed tamen aliud quiddam addo, quod et illi quodam modo contrarium sit, et simul cum illo uerum; aut quum id, quod ante disputatum est, partim uerum esse, partim non esse significatur. Sed haec ab ipsis rebus, quae quoque in loco sunt, uerborumque continuitate pendere, uel maxime perspicuum est. Quare quam multis modis res uariari possunt, tam multa etiam concessionis genera sunt. Nec uero licet diuersa confundere; aliud enim est res ipsa ac uerba, aliud ratio quae inter circuitus partes intercedit. Iam quaeritur: omnibus illis in generibus adestne ea, quam ante descripsimus, inter primariam secundariamque ratio? Si ita est, hanc rem his enuntiationibus nomen dedisse statuimus; praeter quod si quid conceditur, hanc concessionem ad illam accedere nec necessariam esse putamus. Quaenam igitur erat illa ratio, quam periodorum concessiuarum propriam esse statueremus? In protasi conceditur atque adprobatur id, quod ad apodosim, quam primam cogitari necesse est, ab aliquo responsum fingitur. Itaque, a ceteris dissentientes, dicimus: primum, id, ad quod illud responsum esse fingatur necesse sit, ipsam esse primariam; deinde, quod ad concedendum cogat quodque concedatur, id esse idem responsum; id denique, quod responsum sit, etsi non apertis uerbis exponatur, tamen, in secundaria, ubi concedatur, latens, adesse [76a]. Quod, considerantibus nobis hoc exemplum, apparebit: quamquam flagrat bellandi cupiditate, tamen putat paci seruiendum esse. Si dico: putat paci seruiendum esse, nemini concessionis ueniet in mentem; sin uero occurrentem quem feceris: at flagrat bellandi cupiditate, hoc ita fere conceditur: quamquam flagrat e. q. s., illud autem nihilo minus adseueratur: tamen putat e. q. s. Hic igitur nullo modo licet dicere, ipsam apodosim ad concedendum cogere aut impellere. Sed in hoc errore plerique esse uidentur eorum, qui de concessione disputarunt. At dixerit quispiam: quid est quod apodosim non ad concedendum impellere dicas? Statuisti enim tu quidem ipse, propter contrarium quiddam concessionem fieri. Atqui contrarii aliquid inter utramque periodi concessiuae partem intercedere, negari non potest. Cur tandem istud negas? At non dixi, omnibus locis, ubi contra-

[76a] Ergo tantum abest, ut Frischlino adsentiamur in eo, quod dicit, "grammaticum non considerare orationem tacitam, i. e. cogitationem", ut nulli uerae concessioni his in periodis posse locum esse contendamus, nisi quid statueris audiri.

riae res sint, concessioni locum esse; sed ubi loquenti ab alio obfertur aliquid, quod ipsius sententiae contrarium sit aut ab ea discrepans, ibi ei necesse est aut sua defendenti contra dicere, aut alterum illud uerum esse concedere. In periodo autem concessiua utraque pars eidem tribuitur atque adprobatur; nec protasis, quamquam responsum loquentis ad fictam contradictionem continet, hanc ipsam per se continet.

Sed ne ita quidem ui concessionis definita, optime, quid in constructionibus concessiuis sit, descriptum esse credo. Nam etiamsi non nusquam, sententia ita, ut diximus, quasi dissoluta ac perlustrata, concessi aliquid inueniri potest, tamen plerumque haec ipsa dissolutio difficilior eamque ob rem explicatio illa inepta sit. Inspice exempla quae complexiones concessiuas continent: intelliges, saepe illiusmodi responsum difficile inuentu esse. Nec raro illud ne posse quidem opinor reperiri, nisi in ipsam sententiam uim intuleris. Ac considerandum est, ineptissimum futurum esse statuere, eum, qui loquatur, semper secundaria concessiua concedere aliquid; quamquam hic non licet hanc rem subtilius copiosiusque persequi. Ad eam posthac (in tertia huius opusculi parte) reuertemur, quum exempla allata disponemus. Id tantum hoc loco adnotauerim, ubi adhibeatur coniunctio 'etiamsi' eaque propriam suam uim retineat, ibi eiusmodi concessionem esse non posse. Neque enim id possum concedere esse, quod uere esse non significo. Nam etsi interdum hoc uerbum ita usurpatur, ut idem fere sit ac 'ponere', 'sumere', tamen, ubi hanc uim habet, ponendi potius est uerbum quam concedendi. Licet in his enuntiationibus secundariis, ut quid ponatur, concedatur; at nec Frischlinus nec ceteri illi, quorum sententiam nunc recognoscimus, eiusmodi concessionis mentionem in definitionibus aut omnino in libris suis fecerunt. Ab iis enim omnibus uno consensu eae enuntiationes concessiuae nominantur, in quibus conceditur aliquid, non eae in quibus conceditur, ut ponatur aliquid. Illud autem quum eos fugisse uideatur, iis non licet adsentiri de ui illa, quam his coniunctionibus tribuerunt, quippe quae non in omnibus reperiatur exemplis. Atque accedit etiam id, quod, si omnes enuntiationes, in quibus, ut ponatur aliquid, conceditur, concessiuae nominandae sunt, omnes enuntiationes hypotheticae huc sunt referendae, ut eae quoque concessiuae fiant. Sunt quidem in definitione illa Frischlini haec addita: "cui posterior sententia aduersatur". Sed his nihil aliud praecipitur, quam ut omnes enuntiationes condicionales, quas

aduersatiuae sequantur, in concessiuarum numero reponere liceat. Sed ut hoc absurdum est, ita peruersa sententia illa, ex qua efficitur.

Recentiores grammatici, quorum nemo concessiuarum nomen non retinet, ut diuersis modis uim earum explicant, ita in non nullis rebus similes sunt. Alii enim dicunt, protasim et apodosim inter se repugnare ac se tollere uideri (ita Graessevs, Handivs, Madvigivs), non autem se uere tollere (ita Graessevs et Kryger); alii, protasim non impedire, quo minus apodosis uera sit (sic Reisigivs et Handivs [77]); alii, protasim et apodosim simul ueras esse (ita Veissenbornivs (B) et in tertia ed. Madvigivs). Atque id quidem omnium est commune, quod, si non apertis uerbis dixerunt, certe aliquo modo significauerunt, contrarii quiddam inter utramque circuitus partem intercedere, quod, etsi eiusmodi esse credas, ut altera pars alteram tollat aut impediat, tamen non sit tale, sed protasim et apodosim simul ueras esse patiatur [78]. A ceteris quidem paullum discrepat in uerbis, quamquam in re prope consentanea est, definitio Veissenborni (B), qui hypothesim uult in protasi poni ac concedi, ex ea autem quam exspectes consequentiam, in apodosi aut aperte aut occulte negari. Quod si in apodosi negatur id, quod exspectes, efficitur, eam re aliqua, quam non exspectes, contineri [79]. Sed ut id quod quis ob rem quandam exspectat, huic rei consentaneum sit necesse est, ita inter se repugnant res quaedam atque id quod ex ea non exspectes. Ex quo apparet, uim eandem fere huic definitioni ceterisque subesse; quae num nobis adprobandae accipiendaeque sint, nunc quaerere conabimur.

Sed id primum animaduertendum est, duas esse res inter se diuersas, quas non liceat confundere. Nam de concessionis ui quum quaeritur, explicari potest, aut quam in sententiam particulae, quae usurpari solent, adhibeantur, aut quae inter protasim atque apodosim intercedat ratio. Dixerit fortasse quispiam, duas

---

[77] Eiusdem sententiae iam Linacrvm fuisse, etsi has coniunctiones "aduersatiuas" appellet, adnotaui p. 8 (adn. 20) supra.

[78] Fortasse alicui uidetur hoc cum eo quod ante dicebam, repugnare, quando quidem, quod illorum cuique tribui, id tum omnium commune esse statuere uideor. At non sunt illa inter se repugnantia. Quamquam enim unam eandemque omnium sententiam esse opinor, tamen quasi ab sua quisque parte rem conspiciunt.

[79] Hoc Priscianvs spectare uidetur, quum has coniunctiones "aduersum conuenienti significare" dicit. Vide p. 7 (adn. 18) supra.

non esse has res, sed, quum ab aliquo significetur illa, significari eodem tempore etiam hanc. At ualde errauerit, qui sic iudicarit. Vt enim aliter, quid coniunctio condicionalis 'si' per se significet, aliter quae sit inter primariam ac secundariam condicionalem ratio, constitui debet, ita numquam non inter particularum ipsarum uim rationemque enuntiationum aliquantum differt. Grammatici autem quum coniunctiones concessiuas definierunt, plerumque quidem quam rationem inter se haberent enuntiationes, descripserunt, sed non nulli particularum uim in eo, quod iis ratio illa enuntiationum significaretur, posuerunt. Haec ut appareant, ipsorum uerba adferre placet. Ait enim Graesseus: *"Die concessiven Disjunctionen werden dann gesetzt, wenn der Vordersatz mit dem Nachsatze - - in - - Verhältnisse stehen"* - -. Kryger: *"Concessivsätze sind solche"* e. q. s. Handius: "Res - - - ea enuntiatione exprimitur, quam - -. Non respondere rationem consequentiae designatur uerbis etiamsi" e. q. s. Cui similis est Veissenbornius (B), quamquam apud eum potius neque coniunctiones ipsae nec ratio enuntiationum definitur. Contra Reisigius et Maduigius ipsas coniunctiones definiunt. Itaque nostrum erit, quum in definitionibus illis recognoscendis uersabimur, eaene, siue huius siue illius generis sint, recte an perperam rem describant, quaerere; sed accedit alia quaedam non minus necessaria quaestio: hisne definitionibus re uera, quid sit concessio, explicetur, an uis illa, quae coniunctionibus concessiuis ab his grammaticis tribuatur, nihil ad concessionem, etsi illud nomen retinuerint, pertineat. De qua re quaerentibus nobis mox apparet, nullam apud plerosque concessionis fieri mentionem. Fit quidem apud VEISSENBORNIVM (B); sed quid est, quod concedi dicat? — *"eine Annahme"*. At haec ratio ab ea concedendi ui, quam nos exposuimus, omnino abhorret; id quod ex eo quoque apertum est, quod ei protasis prior esse uidetur, priusque quam apodosis cogitanda. Nec uerbum illud, quod est *"wird eingeräumt"*, aliud quidquam hac in definitione significare opinor, atque "adprobatur". Vis autem harum enuntiationum secundariarum si concessiua non est, quamnam ille eam esse putat? Et quo nomine hae coniunctiones appellandae erint, si illud ineptum esse existimaueris — si quidem rei ipsi nomen respondere debet? Ad haec neque a Veissenbornio responsum est, neque a ceteris, a quibus ille, ut ostendimus, re uera non dissentit. Ac difficilius sane est nomen huic significationi aptum inuenire, quam uim ipsam uerbis describere. Attamen ut ego nomen aliquod, quo hanc uim a ceteris seiungere possim, proponam, aptissimum, quod quidem inuenerim,

est "coniunctiones admissiuae", quod uerbum etiamsi non optimum est, tamen posthac adhibere placet ad eam quam Veissenbornius (B) ceterique his in coniunctionibus esse putant uim significandam [80].

Maxime uero apud Veissenbornium id reprehendendum est, quod coniunctiones concessiuas ita separat, ut quasi duo fiant genera, quibus ne nomen quidem sit commune, neque eorum affinitatem ullo modo indicat. Itemque uitupero, quod uim particularum 'quamquam' et 'quamuis' talem constituit, qualem illa fere numquam, non semper haec habeat. Atque, ubi de enuntiationibus concessiuis disputat, secundarias tantum ab 'etiamsi, etsi, tametsi' incipere posse contendit, quasi 'quamquam' et cett. numquam mere concessiuae (sed semper comparatiuae) sint, neque in eandem umquam sententiam eademque ratione atque 'etsi, tametsi' adhibeantur. Et idem, quum in eo est, ut, quid significent 'etsi' cett., explicet, inter se confundit, quae prima ac principalis fuerit particularum significatio, et quis sit earum in sermone usus. Vult enim, 'etsi' et cett. semper *"eine Annahme"* inducere, id quod saepius non fit, quamquam haec sine dubio uocis 'etsi' prima fuit uis. Atque etiam cetera illa uerba uereor ne perperam intelligantur: *"die erwartete Folge wird geläugnet und eine nicht erwartete - - im Hauptsatze behauptet."* Quae non ita oportet intelligere, quasi in periodis concessiuis duae soleant esse apodoses, aut apodosis duas continere soleat partes, quarum altera adfirmans, altera negans sit. Sed quid uellet, apertius significasset, si pro *"und"* *"entweder - - oder"* scripsisset. An his uerbis: *"die erwartete Folge wird geläugnet"*, aliquid, quod semper, si non aperte, certe occulte fiat, uult significare, ut iis mutua primariae secundariaeque ratio indicetur? Debuerat hoc aliter facere. Quamuis igitur multa sint, quae in hac definitione sint reprehendenda, tamen, etiamsi nullas nouas res nobis adfert, laudabilis mihi esse uidetur, quod rem quasi a noua quadam parte conspicit. Atque in ea Veissenbornium neque coniunctiones ipsas nec mutuam enuntiationum ratio-

---

[80] Hoc nomine quum primi utamur, nulla re impediri uidemur, quin eam, quam placeat uim, dummodo ne a uera uerbi significatione abhorreat, ei tribuamus. Atqui admittendi uerbum lexicographi sic fere interpretantur: *"zulassen, nicht ausschliessen"*, sim. Ergo admissiuae nominandae sunt eae coniunctiones, quibus significetur, id, quod in protasi sit, simul cum apodosi admitti, ut non excludatur propter illam haec; quod quoniam fieri credas, contrarium admissiuis coniunctionibus iure optimo adfirmatur.

nem, sed, quod in utraque periodi parte insit, id quale sit, describere atque exponere conari, supra iam significauimus.

Dicit quidem Reisigivs, particulas concessiuas esse *"einräumende"*, sed in definitione eius non puto descriptam esse ueram concessionem. Possum enim dicere, contendere, confirmare (nec uero concedo), *"dass in Etwas kein Hinderniss liege um ein Anderes anzunehmen, obwohl man glauben könnte, es sei ein Hinderniss"*. Atque ineptissimae sane sunt uoces illae *"ein Anderes"* et *"anzunehmen"*, haec quod nimis subiectiuam, ut aiunt, uim habet, illa quod infinitior est (dicere debuerat "apodosim" aut "id quod in apodosi est"). Neque apparet, utram circuitus partem primam uelit cogitari. Quare melius hoc: *"es können aber Gegensätze in diesem Sinne eingeräumt werden"* e. q. s.; quod proprius ab ea concessionis definitione, quam exposuimus, abest. Nam necesse erit, si quid concedetur, concedi hoc in protasi; contra apodosi significabitur, concessam illam rem non impedire, quin ipsa nihilo minus uera sit. Quoniam igitur non possumus non negare, hac definitione ueram concessionem describi, quaerendum nobis est, num ea non concessiua ("admissiua") uis, quam his particulis ille tribuat, earum uere sit. Vult enim his coniunctionibus significari, aliquid (id quod in protasi sit) facile uideri posse aliam quandam rem impedire, non uere impedire. Neque ulla in re haec definitio, sic emendata, reprehendenda esse uidetur, nisi quod tamquam paullo angustior est (id quod ex exemplis, quae adferemus, apparebit), quare paucissima tantum uerba immutanda esse censeo. Accedit tamen quod, quid ipsis particulis, quid mutuae enuntiationum rationi tribui debeat, haud aperte exponit.

Kryger, quamquam, ut supra ostendimus, duobus modis uim concessiuam describit, quum et caussalem eam esse dicit, et ita definit, ut haec disputet: *"in den Concessivsätzen wird etwas zugestanden oder als möglich angenommen"* e. q. s.: tamen in ipsa definitione, quae bis in grammatica eius repetitur, tantum hanc significationem commemorat. Omitto illud, quod ait *"zugestanden"*, etsi hoc uerbum usurpari credo significans 'confiteri se aliquid fecisse, quod ante non sit cognitum, aut quodam modo se habere rem, quam quis ante celauerit'; sed sine dubio eo usus est in eandem sententiam ac 'concedere' *("einräumen")*. Minus adprobandum est, quod tamquam disiunctionem quandam in ipsa definitione facit, quum dicit: *"zugestanden oder als möglich angenommen wird"*. Quia autem horum alterum tantum ad "concedendum" pertinere potest, sequitur, has

coniunctiones non concessiuas magis quam hypotheticas esse nominandas. Quoniam igitur eas non ideo concessiuas appellauit, quod semper concedant, alio debuit uti nomine. Atque in iis, quae addit: *"wodurch die Gültigkeit der Wahrheit* (ecce pleonasmus!) *des im Hauptsatze Gesagten nicht aufgehoben wird"*, quum desit eius rei significatio, quam ceteri eo indicarunt, quod addiderunt "ut credas", multo latius uerba patent, quam ut ubique concessio, quam dicimus, esse possit. Neque enim in enuntiationibus mere condicionalibus, ubi aliquid *"als möglich angenommen wird"*, apodosis protasi tollitur; at non sunt tamen illae omnes concessiuae; neque id umquam uoluit Kryger. Quoniam autem definitio negatiua est, non ostenditur, quae sit inter apodosim ac protasim ratio, sed quae non sit. Etiam explicationem significationis ipsarum particularum desideramus. Ac quaeri potest, num grammaticus ille praeclarissimus hac definitione significare uoluerit, alteram enuntiati partem pro prima habendam, cui altera accedere soleat. Praeterea nostrum non est de eius dispositione ac descriptione syntaxis, num apta sit atque adprobatione digna, quaerere. De eo autem, quod caussalem uim his in periodis inueniri putat, quid iudicandum nobis esse uideatur, supra iam exposuimus.

Apud ceteros concessionem ne commemoratam quidem uideo, etsi idem usurpauerunt nomen. Vt Graessevs, qui, quae sit protasis ad apodosim ratio, describere conatur, eas *"in einem so widrigen Verhältnisse stehen"*, ut se tollere uideantur, sed tamen non uere tollere dicit. Sunt igitur *"in einem widrigen Verhältnisse"*, quamquam se non tollunt? Sed mirabilius est id quod ait: *"wegen eines gewissen Nebenumstandes"*, qui quis sit, non intelligo. Eandem autem hanc rem etiam Handio obuersatam esse, supra adnotaui [81]. Sed quamquam ne ille quidem uere concessiuas has coniunctiones putare uidetur — dicit enim: – – "enuntiatione, quam concessiuam uocare solemus" —, tamen, quum, ut Reisigius, de "impediendo" disputet, huc quoque referendus mihi uisus est, etsi de sententia eius iam satis fere disserui. Hoc loco id tantum adnotauerim, inepta esse uerba "fit" (quia non semper de iis, quae fiunt, quaeritur) et "contrarium agens" (quippe quod non ad omnes locos pertineat). Ceterum de eo prope eadem, ac quae de Reisigio disputauimus, ualent. Eique similis in eo quoque est, quod non numquam concedi dicit, quamquam negat id semper fieri. Nam quum id, in–

---

[81] Vide adn. 58.

quit, "quod in caussa repugnare uidetur aut contrarium adponitur, tamquam caussa ipsa ualeat, condicionaliter exprimitur (per 'etsi, etiamsi')", hae coniunctiones "caussam esse ponunt et concedunt"; ceterae autem, quibus idem illud "remittitur et irritum esse iubetur" ('quamquam, quamuis'), "caussam positam et cognitam retineri in se iubent". At haec omnia ut obscuriora sunt, ita uerba insolita. Nam concedere hic idem fere esse uidetur ac ponere aut permittere ut ponatur; conferas tamen uelim "cognitam" illud, quod adhibet. Sed etiamsi quibusdam in exemplis concessionem alicuius generis esse putat, tamen qualis ea sit, non docet. Tantum igitur abest, ut apud Handium haec res explicata sit, ut etiam magis implicata esse uideatur.

Eandem illam disiunctionem, quam in definitione Krygeri reperiebamus, etiam apud Madvigivm esse uidemus, quamquam hic minus offendit, quia posterior definitionis pars superiori fortasse subiicienda est, ut species generi. Sed quum coniunctiones concessiuas significare dicit, id, quod in protasi sit, esse *"et Hovedsætningens Indhold modstræbende Forhold"*, ut coniunctionibus ipsis primariae secundariaeque repugnantia significetur, nullam aliam uim iis tribuit atque aduersatiuam, etsi eas appellat *"indrömmende"* [82]. Omitto iam quaerere, num sit aptum uerbum illud quod est *"Forhold"*; quamquam quum hoc pro eo, quod ante scripserat *"Omstændighed"*, posuerit, perspicuum est, ipsum illi ut obscuriori hoc praetulisse. Dubito uero, num optimum sit ad rationem, quae inter primariam ac secundariam intercedat, significandam uerbum illud *"modstræbende"*. Sed etiamsi haec omnia adprobantur, adprobari non potest tota definitio, quod latius patet omissis iis quae in prioribus editionibus sunt: *"trods hvilken dog Hovedsætningen finder Sted"*. Quae si desunt, uis harum enuntiationum tantum quasi ab una parte describitur; et ipsae iure appellabuntur aduersatiuae. Sed aliud quiddam in iis inesse iam conati sumus ostendere. Neque apud eum quidquam est de concedendo commemoratum, nisi illud quod dicit: *"enten saaledes at man blot tillader at Omstændigheden antages"*; de quo conferas id quod, de Reisigi et Handi sententiis disputantes, iam diximus.

Restat sententia Veissenborni (A), qui in particulis 'quamquam' et 'quamuis' eamque ob rem etiam in quibusdam periodis concessiuis comparatiuam uim

[82] Quod quidem etiam magis apparet ex iis, quae in adn. 51 adferebamus.

inesse dicit [83]. Ita enim disputat: *"die in* ut *und* quam *liegende Bedeutung wird verstärkt durch* utut, *wie auch immer,* quamquam, *wie sehr auch immer,* quamuis, *wie sehr du willst, indem die Erweiterung Anderen überlassen wird. Als Correlativ steht* quamquam *und* quamuis tamen *gegenüber, so sehr auf der anderen Seite, oder* attamen, sed tamen, sed. [84] – – *Wir drücken dieses Verhältniss als Einräumung aus: obgleich, wenn auch."* [85] At huic sententiae obstare haec uidentur. Primum audacissimus erit, qui contendet, in hoc exemplo: 'medici quamquam saepe intelligunt, tamen numquam aegris dicunt, illo morbo eos esse morituros', comparari inter se 'medici intelligunt' et 'numquam dicunt' ita, ut eorum utrumque aeque ualere dicatur; aut in hoc: 'quamuis sint haec misera, quae sunt miserrima, tamen artes nostrae – – nunc uberiores fructus ferre uidentur', conferri 'misera haec sunt' et 'artes fructus ferre uidentur' ita, ut dici possit, hoc enuntiato significari, quanto opere illud, tanto opere hoc uerum esse. Immo uero coniunctiones enuntiationesque concessiuae numquam uere comparatiuae sunt. Tum prorsus negandum est, 'quamquam' semper significare *"wie sehr auch immer"*, 'quamuis' *"wie sehr du willst"*. Nam 'quamquam' particula, ut supra iam dixi, apud optimum quemque scriptorem Latinum nusquam, opinor, ita, ut uult ille, usurpatur (etsi paucissima primae significationis uestigia exstant), quo modo potius 'quamuis' adhiberi puto. Inepte enim hanc quoque particulam eum interpretari, intelligetur, si locos, ubi 'quamuis' coniunctio concessiua est, illo modo explicaueris. Deinde absurdum est id, quod ille docet, significari, utramque enuntiati partem in eundem modum ualere. Nam primum id, quod in protasi est, plerumque (certe ubi usurpatur 'quamquam') augeri nequit; tum non licet dicere (etiamsi 'quamuis' in illam sententiam adhibitum est in protasi), tam multum, quam protasim, apodosim ualere. (An quis erit, qui in exemplo illo: 'quamuis sint haec

---

[83] Idem iam uolebat Sanctivs, ubi de origine particulae 'quamquam' disputabat. Vide adn. 33. Conf. Perizoni adnotationes 7 - 10 ad Mineruae III, 14. Ad quod in parte II reuertemur.

[84] Haec sequuntur ea, quae transscripsimus supra pag. 12: *"so wird ausgesagt"* e. q. s.

[85] Est igitur perspicuum, si uim quarundam coniunctionum concessiuarum comparatiuam esse statuamus, necesse esse omnium coniunctionum ipsarumque enuntiationum concessiuarum per se eandem esse uim statuere. Namque id quidem negari non potest, omnino in eandem sententiam ac 'quamquam' usurpari saepe 'etsi' cett. Itaque si, ubi illa adhibetur, significatio comparatiua est, est etiam ubi haec, etiamsi utriusque particulae origo diuersa est.

misera' e. q. s., perinde, atque haec misera sint (licet sint miserrima), artes nostras uberiores fructus ferre confirmet?) Sustulit quidem ipse quodam modo hoc iis quae addit: – – *"wenn der Gedanke im Nebensatz auch noch so sehr gelte, doch auf der anderen Seite das im Hauptsatze Gesagte statt finde"*; sed, illo sublato, simul omnis ista comparatio tollitur [86]. Obsistit denique sententiae illius uis ipsa particulae 'quamuis', de qua plerosque et grammaticos et lexicographos errasse opinor. Quamquam enim huius non est loci neque alias linguas conferre neque, unde ortae sint particulae ipsae, explicare, sed horum utrumque in secundam huius opusculi partem differamus necesse est, tamen facere non possumus, quin, quoniam de significatione et coniunctionum et enuntiationum concessiuarum disputamus, quae uera sit 'quamuis' particulae uis, iam quaerere conemur. Atque omnino nego ei 'tamen' ita respondere, ut 'tam' relatiuo 'quam'. Correlatum enim, quod dicimus, particulae 'quamuis' est 'tam' quoddam omissum, quod, ubi proprie adhibetur 'quamuis', ipsi secundariae cogitatione inserendum et ad uerbum aliquod addendum est. Est uero coniunctiuus ille, qui hanc coniunctionem sequitur, eius generis, quem concessiuum appellare solemus. Vt sententia eius exempli, quod attulimus, haec est: sint haec [tam], quam uis, misera, tamen e. q. s. Hanc principalem esse huius uocis uim, de eo nulla umquam exoriri poterit dissensio [87]. Sed ut in omnibus fere doctorum uirorum sententiis, etiamsi reiiciendae sunt, tamen ueri aliquid inest, quo ad opinionem suam adducti illi sunt, ita, quid huic Veissenborni sententiae subsit ueri, iam nostrum erit quaerere. Ac minime equidem nego, his in enuntiatis comparationem quandam esse; neque ignoro, primam particularum 'quamquam' et 'quamuis' significationem esse infinitam illam, quam indicat ille; at nego, hanc uim semper manere; nego talem, qualem ille uelit, hic fieri comparationem.

---

[86] Nec minus omnis illa ratio Veissenborniana euerteretur, si quis negaret, sentire eum coniunctiones 'quamquam' et 'quamuis' semper indefinitam illam uim retinere; contra eum apertis uerbis dicere: *"wir drücken dieses Verhältniss als Einräumung aus: obgleich, wenn auch."* At haec uerba non aliter intelligere oportet, quam ut hanc aetatem ab antiquitate eo differre existimet, quod utraque eandem hanc rem diuersis percipiat modis. Quod si ita est, quum illam scilicet necesse sit latere significationem, non poterit ea non iure optimo exquiri atque inuestigari.

[87] Ex his intelligitur, errare eos, qui sic hanc coniunctionem interpretentur: *"så mycket (som) du vill"*, pro eo quod debeant: *[så mycket] som du vill: [so sehr] wie du willst.* Etsi "quam" fortasse etiam correlatum continere dici potest.

Comparantur quidem contraria illa ita, ut appareat, contraria ea esse, non repugnantia. Vt alterum uerum est, ita alterum, quamuis illi contrarium uideatur, uerum esse significatur. Sed quo minus has enuntiationes uere comparatiuas esse censeamus, plura sunt, quae impediant. Conferuntur enim numquam fere comparatiuis in periodis res, quae inter se repugnare uideantur (etsi dissimiles et quodam modo contrarias res in iis licet inter se comparari); in concessiuis autem illae ipsae numquam non comparantur. Atque eo ipso haec comparatio ab illa tanto opere differt, ut, etiam particulis mutatis, in prorsus aliam abierit uim. Itaque, quum coniunctiones comparatiuae similitudinem quandam significant, concessiuae contra non dissimilitudinem solum, sed etiam repugnantiam, quae uideatur, indicant. Atque his uerbis perspicue statuimus, rem eandem omnino a diuersis partibus conspici, prout has illasue adhibueris particulas. Constat enim locos quosdam a grammaticis allatos esse, ubi comparatiuas coniunctiones pro concessiuis usurpatas censeant [88]. Quo modo praecipue LIVIVM uti, ne dicam abuti, uidemus his particulis. Ac iure quidem "abuti" dixerim. Namque inanis sane ea est comparatio, per quam conferantur duae res, quae nulla sint alia re inter se similes, quam quod utraque sit. Qua uia eo hae coniunctiones facile peruenerunt, ut pro copulatiuis usurpentur; eâdem etiam eo peruenisse uidentur, ut pro concessiuis. Iam quaeritur: itane factum est, ut concessiuae coniunctiones, sicut uult Veissenbornius, a comparatiuis ortae sint? Quae quaestio ut a Veissenbornio neglecta est, ita omnino hanc rem non conatur ille comprobare, sed tantum adfirmat, 'quamquam' et 'tamen' coniunctiones comparatiuas (indefinitas) esse. Si uero concessiuarum e comparatiuis origo illa re esset probanda, illius usus exempla ex antiquissimo quoque scriptore proferenda essent. Apud quos quum nulla inueniantur eiusmodi exempla, ex eo, quod apud posteriores quosdam pauca sunt, illud non efficitur. Ac si eos, quos attulerunt locos [89], inspexerimus, intelligemus nullam esse necessitatem, qua coacti eos omnes in concessiuam sententiam accipiamus, sed plerosque licere pro mere comparatiuis periodis habere.

---

[88] Non pertinet quidem huc quaerere, num id, quod periodo comparatiua pronuntiatum sit, concessiua etiam uerborum complexione pronuntiari possit. Sed etiamsi possit, tamen ex eo non efficiatur, haec duo enuntiationum genera cognata inter se esse. Conf. adn. 56.

[89] Vide Maduigi *Sprogl.*, §. 444, adn. 3 [ed. III]; Krygeri *Gram.*, §. 582, adn. 4.

Atque etiam in ceteris comparatiua uis quasi dominari uidetur [90]. Quae quum ita sint, ne haec quidem res pro sententia Veissenborni est.

Apparuit igitur, inter has omnes grammaticorum Latinorum sententias de concessionis ui ac significatione nullam esse, quam omnino adprobandam accipiendamque esse censeamus. Alii enim hanc rem tam angustis circumscripserunt finibus, ut non omnia, quae ad eam pertinerent, huc possent referri; alii fines adeo dilatauerunt, ut, si omnia, quae per eos liceret huc conferre, congererentur, multae sane diuersae diuersorum generum res concessionis nomine appellarentur; alii rem obscure tractauerunt, ut, quae fuerit eorum sententia, uix intelligatur neque, quam concessionis uim esse existimarint, perspiciatur; alii rem tamquam ab una tantum parte conspexerunt, alii aliis modis perperam eam explicauerunt. Quae omnia quamquam suo quidque loco reprehendi, tamen nullus fere fuit grammaticus, quem nihil ueri inuenisse atque attulisse putem. Nec uero,

---

[90] Quia longum est omnes enumerare locos, non nullos adferre placet. In Liuianis illis: **iter multo quam in ascensu fuerat, ut pleraque Alpium ab Italia sicut breuiora ita arrectiora sunt, difficilius fuit** (Liv. XXI, 35), si breuis in eandem fere sententiam licet accipere ac 'praeceps', 'praeruptus' sim., ut contrarium sit ei, quod leniter decliue sit, nihil in his uerbis inest concessiui; sic enim interpretamur: *"branta och tvära som Alperna till största delen äro på södra sidan"* (proprie: *"brantare"* e. q. s.), ut 'sicut - ita' hic, ut saepius, prope idem sit atque 'et-et'. — Quum ait Cicero (fam. 10, 20): **uerum, ut errare potuisti - -, sic decipi te non potuisse quis non uidet!** conferuntur inter se "errare potuisti" et "decipi non potuisti", quae ne uidentur quidem contrariae res esse, sed quorum utrumque aeque multum ualere significatur. Nos ita fere dicimus: *"lika möjligt som det är att du kunnat misstaga dig, lika omöjligt är det uppenbarligen att du skulle kunnat blifva bedragen"*; in quibus nemini sane concessionis uenit in mentem. — Liv. IV, 6: **interroganti tribuno, cur - -, ut fortasse uere, sic parum utiliter in praesens certamen respondit, quod** e. q. s., si ita interpretamur: *"på tribunens tillfrågan, hvarför - -, svarade han, hvad som kanske var lika sannt, som med afseende på den förhandenvarande tvistefrågan onyttigt"*, perspicuum est, comparari ueritatem responsi illius atque inutilitatem, et utramque aequam similemque esse significari. Atque etiam minus aduersae uidentur huius comprehensionis esse partes: **Saguntini ut a proeliis quietem habuerant - -, ita non nocte non die umquam cessauerant ab opere** (id. XXI, 11); i. e. *likasom de hade haft ro från strider, likaså hade de utan uppehåll dag och natt varit sysselsatte med arbete för murens iståndsättande;* etsi concedo, hic non ueram aut meram comparationem esse, sed temporales potius coniunctiones fuisse adhibendas, ut: *de hade, under det de hade haft ro från strider, hvarken dag eller natt upphört* e. q. s.

si postulandum esse censeo, ut concessio definiatur ita, ut nihil, quod ad rem accurate describendam pertineat, omittatur, nihil, quo aut nimis contracta et angusta aut amplior et quasi laxior fiat definitio, adferatur: his id uolo, rem simul ab omnibus illis partibus conspici debere, id quod ne fieri quidem posse opinor; sed haec omnia ita inter se comparanda ac coniungenda sunt, ut una efficiatur definitio. Hoc autem ad hanc primam partem non pertinet; prius enim, ut dixi, quae particularum sint origines, ostendendum exemplaque conferenda. Sed partes secundam tertiamque, ubi haec mihi propositum est adferre, quum hoc tempore non liceat emittere, dubitaui, num hic harum, quas concessiuas appellamus, enuntiationum particularumque uim definiendo describerem, ne in reprehensiones incurrerem, quod hunc libellum, priusquam, quid ipse sentirem, ullo modo significassem, edidissem. At, quia multo etiam magis dignum quod reprehendatur, futurum esse opinor, si in medio opere, quaestionibus nondum ad dimidiam partem peractis, id, quod omnium postremum locum tenere debeat, hic, tam inepto loco, interposuerim, satius mihi uisum est definitionem illam suum in locum differre, praesertim quum sperem, fore, ut harum quaestionum partes quae restent, quae, nondum absolutae perfectaeue, apud me latent, post non ita multum temporis spatium possim emittere.

Pag. 15 u. 30 pro eos legendum est eas;
pag. 18 u. 5 in uerbo contrarias deleatur s.

a particularum esse censeo, ut conceptio definiatur ita, ut nihil, quod ad rem accurate describendam pertineat, omittatur, nihil, quod aut nimis contracta et angusta aut amplior et quasi laxior fiat definitio, adferatur: his id uolo: eum enim ad omnibus illis partibus constare debere, id quod ne fieri quidem posse opinor: sed haec omnia ita inter se comparanda ac coniungenda sunt, ut una efficiatur definitio. Hoc autem ad hanc primam partem non pertinet; prius enim, ut dixi, quae particularum sint origines, ostendendum eaque conferenda. Sed partis secundae tertiaeque, ubi haec mihi propositum est adferre, quum hoc [illegible] non liceat emittere, dubitavi, num hic locum, quas conceptiones appellamus, conceptionum particularumque una definitione describerem, ut in reprehensiones incurrerem; quod huius libelli, priusquam, quid ipse sentirem, plene modo significassem, abstinerem. At quia multo etiam magis dignum quod reprehendatur, futurum esse putavi, si in nostro opere, quae singulis nostris ad singulam partem pertinent, ab quod omnium postremum locum tenere debeat, hic, tam longe loco interponerem, satius mihi visum est definitionem illam, usque in locum diversis reservare quam speravi, fore, ut harum quaestionum partes quae restant, quas, iam iam absolutae perfecteque, apud me latent, post non ita multum temporis spatium possim emittere.